UTOPIA

BLOERMA

N

1963



6 K.IV.

Ex Libris
Francisci Antonij de
Paflinger [illegible] in
Eisgarn.



UTOPIA
DIDACI BEMARDINI,
Seu
IACOBI BIDERMANI,
E SOCIETATE JESU
SALES MUSICI,
Quibus
LUDICRA MIXTIM
& ſeria litteratè ac feſtivè denarrantur.

EDITIO TERTIA,

Indice rerùm aucta;

Cum Gratia & Privilegio S. C. Majeſt.
Et facultate Superiorum.

V. Engelshofen. 372:

DILINGÆ.

Apud JOANNEM CASPARUM BENCARD,
Bibliopolam Academicum.

ANNO M. DC. LXXXXI.

Ad Lectorem.

ACcipe, benevole Lector, librum complurium Doctiſſimorum virorum, potiſſimùm autem eruditæ juventutis deſiderio diu vehementérq; expetitum, Cultioris ingenii partus is eſt, & ille ipſe Bernardinus jam antehac typis editus denuo prælo ſubjectus, qui eâ Romani Sermonis elegantiâ atque dulcedine fabularum Lectorem tenet & trahit, ut, qui illum tanquam lecturus ex commodo, adaperit; ac ſolùm deguſtare vult, longiùs procedere, & ſine ulla dilatione perlegere quodammodo cogatur. Ita enim mentem rapiunt, quæ lecta ſunt, ut illico ſcire aveat, quæ Legenda ſuperſint, experire, & vale.

UTO-

UTOPIÆ

DIDACI BEMARDINI.

LIBER PRIMVS.

SUB æſtatem proximam paullo adul- ſtiorem, hoſpite uſus ſum iuvene ſa- nè quàm erudito, & mihi in paucis fa- miliari; cujus hodiéque ſales mihi in memoriam ſunt & multi, & cum invi- dia docti. Eum ego, ut, quæ viſum eſt, liberiùs narrem, iubebo precariam in his mihi Bellariis operam dare, ac per- ſonato nomine Philippum tantiſper ap- pellari, quando famæ jam ſanctiori ſuum dedicavit. 1. *Ingreſſus in fabulas.*

Is me Philippus meridiantem id temporis oppreſſit, cùm à Muſis otium agerem. Et, næ tu, inquit, feſtus es, qui Parnaſſum hîc eſſe credas, ubi ſom- niando Poëta fias. Et tu, inquam ego, nugo ſerius es, qui caſtiges tuos in me- mores Fallor enim, aut tibi vix etiam- num Morpheus miſſionem dedit. Sed nunquid aliorſum, quàm ut me exper- 2. *Egreſſus in hortis ſuburbanum.*

 ge-

geres, evigilaſti? Hic ille renidens; ſe cælo ſudiore evocatum ambulationem cogitare. Nam quid, ſole, inquit, primulùm deflexo malim? In proximo ſuburbanum eſt, quò, ſi me audis, unà imus, & hoc Trophonii antrum cum amœniſſimo Tilieto permutamus. Hæc ille: méque adhuc molientem, & à ſomno paudiculantem manu comiter deducit. Ego mox ſequar, inquã: Tametſi hæc luculenta vis eſt, cuius te reum Lege Corneliâ citabo primum, atque ex tuto licuerit; in præſenti enim teſſeram impunè non fregero. Id, inquit Philipp9, otioſus facias, quando ita vis. Nunc, uti ne Amuſi erremus, libri aliquid adſciſcamus. Ita ex forulis tabellas Phædri depromit, inde rectà in hortos ſuburbanos.

3. *Socius ambulationis, & locus.* Iam in conſpectu nemus æſtivum erat, cum obviam fit Hugo, adoleſcens à literis, & germani candoris nota probiſſimè notus Eo nondum conſalutato; Gratiæ omnes, inquit Philippus. Nemini tu quidem, mi Hugo, moleſtus fuiſti unquam; ſed hodie præſertim te opportuniſſimè offers. Ac mox hominem manu præhenſare, & in amplexus ruere. Ille interim modeſtiſſimè excuſare,

ſare,

ſare, nuſquam ſe tempeſtivè adeſſe dicere: & ſi adeò nunc, inquit, ſeriis veſtris mora ſum, veniam date imprudenti, & ſimul digreſſum parate. Cùm ego in pallii laciniam invado, ac neſcio quid obnitentem in prœtorium Philippi pertraho, locum ex elegantiis meriſſimè natum, in quo videri poſſit Natura & Ars de ingenio certaſſe, & palmam alteri altera, me arbitro, dubiam feciſſe: Quanquam ea, quæ ibi ex ordine demirari potui, nõ adeò in promptu eſt dicere. Nec verò etiam conſilium id mihi fuit, penſiculatè omnia cenſere; cùm præſertim ad alia Tragemata animus nos invitaret. Scena erat umbratica, quâ ſolem æſtúmque defendere ſeritati ſolemus.

Hîc nobis viritim, velut in lectulos, deſcriptis; Philippus, Phædrum hunc, inquit, horis ſubſecivis per proximos priores dies legi, Tiberii Principis Libertum, doctum ceterà ſcriptorem & fabulatorem ſanè nõ inficetum, quique probioris aliquantũ indolis, quàm hodiè pleraque fabularum commenta, aut veriùs ævi noſtri dedecora: in quibus legendis, præter bonas horas, morum quoq; animorúmque diſpendium 4. *Qua lectio, aut confabulatio honeſtos debeat oblectare.*

 eſt

eſt Furtivos equitum amores, & Virginum mentitos raptus, qui prætextatè & quàm Latiniſſimè fingit, is modò Poëta audit. Ac ſi ea ſint demum ingenioſa, quæ moribus bonis convitium facere conſueverint. Cùm in eam ſententiam pluribus diceret: ego non quòd vana, ſed ne triſtiora diceret, mittere hoc genus querelas iuſſi, & aliquando Phædrum recitare. Hæc tempori, inquit, mones: tametſi ea ſine ſtomacho nunquam recordor. Nos iam hilares nunc, quàm cenſorios eſſe, ſatiùs arbitrabor. Quare lectionem iam inceptam, & aliqua eruditione identidem inſperſam Hugo mox turbare cæpit, & abnuere, quòd ea Philippum nullo conſilio agere cenſeret. Eſſe enim ita ſeria, ut niſi meditatò audiri non poſſint: & dudum ſe caput dolere; cui malo Phædrus medicinam non faceret. Quin ludicris intentus, inquit, hunc diem agis, potiùs, ſcholáſque habere omittis: Quòd ſi argumentum vobis ioculare nullum eſt, vel ego ſufficiam. Ita omnes me Muſæ ament, inquit Philippus; nihil tam velim, atque te ſingulariè mihi demereri: id quia dicendo non evalui, audiendo efficiam. Tu proinde liberaliter horten-

tenſes iocos è fabulari ſinu ſparge: diripiemus ego & meus hic hoſpes (annuebam ego) avidiſſimè. Tum Hugo, quando ita iubes, inquit, & nulla à te Dictatore provocatio eſt, Vt lubes. Apologum percenſebo: in quo tamen nec meros expectate ſales, nec nullos. Et dictionem haud paulò fortaſſis etiā triſtiorem, hoc ipſo, quod videtis, palliolo (ſimul palliū oſtendit) villis iam compluſculùm depexis atque inſenium vergentibus. Secundùm hæc obſervatè curioséque aurem advertimus: cùm ille ſiniſtrâ in ceſpitem, velut pulvillum, innitens:

Paganum, inquit hominem accepi, in mercatum ijſſe, quò illum imperioſa uxor miſerat, & bene nummatum edocuerat, quid in nundinis fieri vellet. Ille iurgioſæ mulieri ut ſe probaret, impendio ſolertior, poſt primam noctis inclinationem iter ingreditur. Pagum inter & urbem ſilva intererat, monſtris peſtilens, & ſuapte aſpectu formidoloſa. Eò progreſſus; & uxoris imperio, quàm viæ intentior, à ſemita exerrat. Hîc illi primum neſcio quod murmur & barbari queſtus odarium auditur: quod tamen iam neglectum,

5. Ruſtici Fabula de iis, qui benefacta malefactis compenſant.

mox admirationem & tandem homini formidinem incuſſit. Poſt ſenſim crebreſcere; ac denique è vicino intelligi cæptum eſt.

6. Interea loci diluculat, diéſque errorem pariter & periculum oſtendit. Quare pendere ruſticus, animíque incertus fluctuare, redeátne in viam; an clamorem inſequatur, ſe ſéque potiùs quàm alterum periculi ſecurum reddat. Demum pietas animum everberat ire, quà vocem capiebat. Aliquantum ergo noſcitabundus procedit: dum cavernam conſpicatur humi depreſſam, & ſaxi grandiuſculi obiectu præſtructam; pérque anfractus & ſentes ægrè vel ſingulis acceſſam. Atque inde ominoſi queſtus emergebant. Ruſticus quànquam ſuſpenſo paſſu incedit; fallere tamen ita non poteſt, ut lateat. Quo animadverſo; remittit nonnihil inconditus clamor, & vox lenior, in hæc ſeſe verba efformat.

7. Per ego te, quicquid es, moriturus obteſtor, patere hanc me tibi vitam debere, quam negare nutu, quam donare potes. Da capto, quod accipere velles, niſi liber eſſes. Lucem calamitoſo redde, quam Fortunæ iniuria ade-

ademit. Communia rogo quæ ubi mihi reſtitueris, etiam tu ſervabis. Ruſtico iam oculi lacrimis ſtabant: & tamen ſciam prius, inquit, quid monſtri es: quod tibi piaculum, quis adminiculandi modus? Rurſus ille: mortalem ſe quempiam; nullâ ſuâ noxiâ in eas latebras compactum: ſextum iam diem cũ inediâ ſitíque pertinaciter depugnare, ac prope diem animam agere: Quas ille ærumnas medicaretur omnes, ſi anticam carceris ianuam tantiſper amoveret, dum ſeſe in communem aërem reciperet. Spondere huic labori incitamentum; præmium, quantum hodiéque bene merentibus decerni ſoleret; ſi fallat, dejurio ſe obſtringere. Hic ille; dabo equidem operam, inquit, ut ne te promiſſi: tu, ne me laboris pæniteat: Et ſimul nitibundus in obicem incumbit, ſaxúmque loco amolitur. Qui dum vigilatè prodeuntem libertum ſuum expectat; ecce tibi prorepit monſtrum horrendum, informe, ingens: Vipera viſu iuxta ac cogitatu metuenda. Criſtatus capiti vertex; excerta linguæ fulcinula; oculi exangues, iubæ ſubrectæ; corpus ceterà virga-

 tum,

tum; cauda refugo tractu in tortuoſa coibat volumina. Tum verò animus homini compaveſcere, incepti pænitudinem habere, fugæ locum circumſpicere, nuſquam tutò eſſe. Et certè eventum operiri periculoſum erat. Sed in re deſperata, viſum eſt ab audaciâ conſilium petere; pactitiam depoſcit homo rusticanus mercedem; & quoad poteſt magnitudinem beneficii ſui oſtendit, oportere eius memoriam perennare, & patrono ſuo gratiam habere.

8. Habebo, inquit alter, quantum ſpopondi, & ne comperendinatio fidem elevet, jam adeò nunc liberabo. Ille peculium Draconi ratus eſſe; ubi omnia deſieri vidit; verò, inquit, nihil in parato habes, unde ſatisfacturum putem. Ad ea Coluber, rictum ſeſe, & vacuam alui voraginem habere, quo eum pro merito demitteret; ídque præmium eâ lege ſolveret. Jámque immanem oris hiatum, & famelici ventris gurgitem laxabat, præſentes homini peſtes; niſi ille primos belluæ conatus ſaltuatim exiſſet! inde nihil vitæ ſuperare, ipſaque illum ſalus deſertum ire. Tandem ubi vitare exitium poſſe deſpe-

deſperaverat, differri ſaltem cupiebat. Quare cœpit ingenium in promptu habere; litem cum Dracone conteſtari. Superûm, clamat, atque hominum fidem! hoc meritis meis hoſtimentum? hoc Soſpitatori tuo tu præmium? Alia captus venditator, alia, perfide, promiſeras. Vitam tibi reſtitui volebas, an ut meam mihi per vim & nefas eriperes? non periclitarer capite, niſi impendens à te periculum arcuiſſem. Perime jam, quando pietas vim prohibere nequit, perime, dum cædem meã hæc ipſa humus inultam non relinquet. Convitiis indulges liberaliter, inquit Draco, Injuriarum ſic nunquam ageres, ſi meminiſſe velles, in quæ verba donatio convenerit. Num aliam ego te gratiam ſperare juſſi, quàm qualem accipere paſſim beneficentiſſimi ſolent? Eam vero, inquit, ipſam. Atqui aliud nunc moliris: promiſſum abiuras; &, quod Mater Lua nunquam eluat, vim paras. Videris mihi, inquit Serpens, parùm inter homines egiſſe, mi homo, qui ſolennem ævi tui morem ignores. Nunquid enim inter voſmet Beneficia Iniurijs non compenſantur; habéntque eam gratiam maxima merita, ut

paribus maleficiis redimantur? Hoc Ruſticus prorſus inficiari; idque nulli hacten⁹ ulli uſu veniſſe cōtendere. Quare Serpens hominem in quodvis pign⁹ vocare; &, ne præter morem id facinus meditari videretur, arbitrum petere, eiusdémque iudicio vel cadere cauſsâ, vel vincere. Itum eſt in eam ſententiam, ut in quem primum ſeu hominem, ſeu feram incidiſſent, is pro Prætore ius diceret; ad id locorum induciæ eſſent.

*9. Inde pergunt, quâ breviſſimus ſilvæ ac ſolitudinis traiectus ducebat. Jámque in patentiorem planitiem evaſerant; cùm procul Canem Venaticum conſpicantur, reſti ad prolapſam agri ſepem alligatum, annis maciéque fractum; cetera generoſis natalibus & rebus geſtis perilluſtrem. Hunc idoneo loco nacti iudicem officiosè cominus ſalutant: Ortam ajunt inter ſe controverſiam ſuper te, ceteroquin liquidiſſimá, niſi alterius affectus dubiam feciſſet: Quam tamen ipſe pro eâ, quâ polleat, experientiâ diſceptare momento poſſit; ſi in gratiam litigantium tantiſper forum agere velit. Cane paullo moroſius; &, quòd penè edentulus eſſet,

eſſet, adhæsè quam ſibi mutuo litem intenderent, ſciſcitante, Serpens cauſſæ ſtatum exſertè, partitéque proponit: Ea ſe homini pollicitum eſſe, quæ præſtari optimè meritis conſueviſſent: in incerto nunc eſſe, boni plus, an mali promiſiſſet? Ad quæ Canis, ſe olim venationis quàm Legum ac Iuris peritiorem fuiſſe: tametſi extremis, inquit, annis, uſus mihi venit, ut cæperim meo malo Legulejus fieri. Quamobrem, cùm ad me conſiſtendæ litis cauſa veneritis, faciam ut vobis de veſtra controverſiâ palam fiat. Attentionem inde Partes parabant; ac mox Canis in hæc verba exorſus.

Utinam, inquit, ea nunc tempora 10.
viveremus, Auditores, quibus urſorum inter, atque aprorum agmina potiùs, quàm ex vinculis veſtram meámque unà cauſſam me perorare oporteret. Illud enim, etſi periculoſius mihi eveniret, gloriam tamen, atque immortalitatem etiam periculum non negaret. Præſens autem vitæ conditio, & periculi certa eſt; & æternam inſuper honoris jacturam minitatur: quando hodie fatalis eſt hora, quæ, eheu! calculis iniquè ſubductis, merita mea penſi-

tabit, unóque jam momento locato tot annorum opera peſſum ibit. Fuimus olim numero aliquo; ſed tum, quando greges à lupis, domum à furtis, Dominum à latronibus vindicabamus. Nulla hero meo nox fuit, quam equidem aſſiduus excubitor non pervigilarim. Ad nutus adeò, ſignáque obtemperare inſuevi. Luſitabam ſcitè, ſi qua ille juſſiſſet; iiſdem iraſcebar, adulabar iiſdem, quos velle illum advertiſſem. Ubi venari libuit; ego ſagacitate feras odorus indagabam; premebam fugientes, quoad genuinum defigerem. Apros ego attinere, & ſolus humi ſternere auſus, compluria in ejuſmodi conflictu vulnera excepi: meæ contemptor vitæ, dum gulam herilem penſi habebam. Ego latrator ille nobilis, ego nemorum terror. Quoties in ſiluas excurri, & ſtertente etiamnum Domino, cum ſpoliis domum reveni; jam lepuſculum venatus, jam vulpeculam admorsâ cuticulâ aſſecutus, & hoc genus alias prædas: unde ille gulæ induſtriam cœnam ſtrueret, & cupediarum indagine abdomen curaret. Vidi egomet hyemante cælo, pellibus illum ferinis veſtiri, & quævis idcirco frigora inſultare: Nam

eas ego induvias illi dederam. Fruſtra hodie ſim, ſi ex tempore merita omnia recenſere velim, quibus olim Dominum affeci meum. Et quorſum hæc omnia diſputo, Auditores? An ut memet ego deprædicem? imò ut de veſtrâ causâ, quid ſentiam liquidiſſimò declarem. Nam certè (quod videtur) conſenui, & jam viribus defectus à laboribus procul vitam agere inſtitui: cùm ſubitò herus omnium beneficiorum immemor, non me mucido pane viliſque furfure, non ſiccis oſſibus alere, non domi ſervare; quin denique vitam, & hunc aërem cœpit invidere. Hîc enim heri juſſu infame ſupplicium in momenta ſubibo. Duci me juſſit. Quâ noxâ id meâ eveniat, ne rogate. Benè feci, Benè ſervivi: hic titulus cædis meæ; in quem ſi intuemini, acta vobis cauſa eſt.

Ruſticus malè pridem de eventu ominatus judicem hunc elinguem optabat. Poſteaquàm peroratum eſt, aliquamdiu triſte ſilentium, & mutuus partium aſpectus tenuit: Donec Serpens ferocior; intelligis, inquit, litem contra te datam? Nihil reſtat quod cauſſeris: vici. Ille vix mutire auſus altum ingemiſcit, & identidem circumſpectat,

ctat, quiſquámne victo pollicem premat. Et certè prope aberat,ut mox invaderetur; niſi extremus vitæ amor infimas preces ſuaſiſſet. Itaque ſupplex ad alterum etiamnum Tribunal provocat: Non ſe necem, niſi immeritam, deprecari. Hunc arbitrum etiam primò de ſua Legum imperitia confeſſum; præterquam quòd ſenii vitio jam ſuppliciíque metu inſanire ac intemperiis agitari videatur: ad extremum, ſententiam illum morbo, non judicio dixiſſe: ſupereſſe jure Conſultos probiores; qui, ſi idem pronuntiaſſent, ſe ultra non interceſſurum. Ægrè induxit animum Serpens, ut paciſceretur; futuri tamen præſagio perſuaſus concedit.

12. Ergo uterque pariter à Cane digreſſi, propter extimam ſiluam in paſcua deveniunt: inibi equus pabulabatur, ſtrigoſus medicatis circum primores pedes faſciis, & inceſſu difficili, qui viſis in vicinia his viatoribus, obtusè primùm adhinniebat, & novâ hominis atque draconis conſortione delectatus, quid ſe vellent, percontabatur. Reſpondit Draco, quod erat, contendi ſuper jure & æquo. Cupere adeò ſeſe intelligere, qui paſſim mores inter eos

ſint,

ſint, qui dedêre, atque accepêre beneficia; iísne ſoleant pejora acceptis reponere, an agere alia omnia? Equus, ut ſcita ſua momentum haberent, à Majoribus ſuis cæpit proœmiari, quàm ad agendam cauſam deſcenderet? ac pro eo ſtatu perarroganter

Pegaſus inquit, Caput, Auctórque generis mei, per longam poſterorum ſucceſſionem, mihi quoque heminam de illa puteali vena legavit, quam is primus felici ungulâ effoderat. Ex eo die Muſicum liquorem, veluti patrimonium vigilatè ſemper, attentéque conſervavi, ut ſciatis vobis non cum inerudito, rerúmque Muſicarum imperito rem eſſe. Et verò fac deeſſe hæreditariam mihi litteraturam, facilè ex uſu eventúque Majorum meorum, controverſiam hanc decido. Nam de Pegaſo mihi hactenus conſtat ſolo, eum ob immortale meritum ad Superos evaſiſſe, ab eiſdémque civitate donatum, mortalitatem exuiſſe. Sed ceteros ipſius poſteros, & natos natorum, & qui naſcebantur ab illis, Fortunæ ludibrio proditos, ac circumventos eſſe omnes. In his commemini Incitatum (quem Proavus meus, Tritavum Atavi ſui ſæpè 13.
memo-

memorabat) Cajo Imperatori aliquamdiu gratiſſimum fuiſſe; atque etiam Conſulem deſignatum in puro puto auro potare, & in ebore pabulari, qui tamen Magiſtratu nondum inito ante Kalend. Ianu. eo infortunio præceps ivit, ut inhumatus habuerit neminem, qui oſſa legeret, eáque in urnam conderet. Hirpinus uterque in eadem propagine, quos aurigatio Circenſis toties victores laudavit, ubi emeruerunt, apud nullam factionem ſtabulum impetrarunt. Antiqua loquor, cùm ſuppetant hodieque ubertim recentia, & in omnium ore geſta. Egomet verna hero meo natus, id loci mannulus cùm eſſem, filio herili operam locavi: quem invalidis ego dū cruribus, & ponderi ferendo longè imparibus, ſubij tamē, & quo ſæpiuſculè juſſerat, deportavi. Habitiori poſtea corpore vecturas onerum factitare, curribúsque jungi, veredus fieri cæpi. Herus quoque, ſi quando equo vehere volebat, me accerſebat: eum ego jam militiæ armatum geſtavi, jam ex hoſtium inſidiis celeritate mea in tutum recepi; jam flumina cum ipſo trajeci; ejúſce cauſſâ alſi, ſudavi: interim tamen ille me fodicare, urgere, ſegnitiem opprobrare,

brare,

brare, famem & internecionem minitari. Vici ego memet, atque iniurias diu in iocis numerabam, verbera poppyſmos interpretabar, minas adulationes comprobabam: denique nihil adverſi me fregit; & inter convitia adolevi. Sed nondum hoc caput ærumnarum. Ætas iam grandior infeſtat, vires, forma, cutíſque curatior defluxêre: ſentiſco in dies deparcas heri manus, & de vultu ſtomachantem animum conjecto. Quin hercle adeo ſectores nonnulli, & in his piſtrini redemtor in ſtabulo venalem me licitati ſunt. Erat magna ſuper pretio contentio, cùm piſtor Philippæis me non amplius tribus æſtimaret; herus identidem alterum tantum poſceret: itaq; trepidante me, atque animi pendente, diſceſſum eſt è ſtabulo, quid inter eos convenerit denique, haud adeò liquet: niſi quòd poſt paullo ſervus ad me, neſcio quid moroſior cùm divaricatam perticam in latus impuliſſet, & tu corvorum pabulum, inquit, perendie hoſpitium migrabis & molam alicui truſatilem antelucanus ages, dum fortaſſe ad cultrum denique proſcribare. Quibus ille dictis, capiſtrum mihi exuit; me interim formido in-

ingens & luctus ſuſpendit. Quæ mala eò ingraveſcunt magis, quòd non inter ignotos patior, ſed ab eo, quem debere mihi omnia vanus opinabar. Audiſtis meam hactenus fortunam: Ite per ſingulos, nihil diverſum etiam diverſiſſimi docebunt: clamabunt omnes pejores beneficiis ſimus.

14. Videbatur equus in verba provectior, Quare interpellare Ruſticus & neque hunc judicem quidquam pro ſano agere; affirmare; privati tantum opinionem, & ex vano hauſtam eſſe: oportere conſuli aliquem, qui extra periculum conſtitutus, nihil pro animi libidine judicet; cæcutire enim vel ſapientiſſimos in ſuis pervidendis: rogat efflictim per ſacra omnia, uti alium dicere jus velit, à quo appellare deinde neutri liceat, isque victor diſcedat, ſecundum quem pronuntiatum fuiſſet. Hic jam Draco inſanire, impoſturam hanc clamare, non forum, ſed effugium quæri, ludos ſe hactenus haberi: ſe nec paſſurum tamen, ut diem 15. impunè tergiverſando exemerit. Contra alter in pedes accidere, moram tantiſper orare, quoad jure liquidiore vinceretur.

Inter

Inter hæc Vulpecula dudum poſt ſenticetum occulta ſtabat & tragicas duorum rixas arbitrata, homini advocatum agere inſtituit. Ac mox velut temerè ſilvam egreſſa, in controverſos incidit. Rurſum ex compoſito receptura ſeſe, ut ſubſiſtat tamen, rogatur. Et jam Draco pariter exoratus, etiam hunc admittit judicem, poſt cum Ruſtico nullius moræ gratiam facturus; ita

Aeternos, inquit, *ignes, ita ſidera conſcia teſtor.*

Vulpecula callidè, quid facto foret opus, ſcitatur. Denarrant inter ſe compendiò; illa interim magno opere mirari; inde connivere, jam abnuere; iterum alia ſimulatè intenta, ut rei gerendæ occaſionem æſtimaret. Tum denique paullum meditata, feſtivi doli conſilium capit: Et res, inquit, iſta non patitur, ut hic in medium conſulatur; ſeorſim cum ſingulis deliberabo. Innuit inde Draconi primùm; eique è via ſeducto pluria in aurem garrit: atque extremum altiùs, ut inaudire Ruſticus poſſet, ita me omnes pulli, inquit, ament, & gallinæ deament, cauſſam tantùm non certam habes, priùs tamen etiam

alter

aſter ſevocandus. Draco ſupra quàm credi poſſit geſtire,& victor ſibi videri. Concidere animo Ruſticus, & laqueum quærere: Vulpeculæ tamen ductu, ſecretum petit Ibi vulpes primò illum de periculo docet, additque ipſum cauſſa laborare, & ſecundum plerúmque hominum morem vindicias habere nullas poſſe. Aut igitur occumbendum eſſe è veſtigio,aut ſuo unius conſilio evadendum. Quod effecturam ſe recipit, ſi, quod poſceret, ſanctè obſervatum vellet. Ruſticus ubi vidit aliquam vitæ ſpem allucere; imperata facturum oſtendit: illi præterea domi ſuæ Tribunitiam poteſtatem concedit & ut quando, quoties liberet, imperio proconſulari gallinis,cortíque univerſæ jus diceret. Admonet deinde hominem, ut nutus obſervatè omnes attendat; quæque poſt aliquando vulpes inſinuatura eſſet, ſtudio quanto maximo feſtinet; modum & rationem docet. Ita inſtructum Vulpes à ſe dimittit,atque in medium progreſſa, paucis, quæ viſum eſt, exponit; cauſam fermè liquere, quam ne confeſtim pronuntiaret, eo uno prohiberi ſe, quòd barathri illius faciem, unde Ruſtici operâ emerſiſſet, compertam


VERA UTOPIÆ DESCRIPTIO.
Pars.
Lautitia
Stroza
Cranula.
Bacchanal.
Iocaſtria.
Merendula.
Nectar Flu.
Naſopolis.
Allegrum.
Doli.
Oſſa.
Propinia.
Facetiæ
Proficia.
Vulpiniæ Pars
Cuſia
Ficadra.
Impunitas.
Clepia.
Aſtutium.
Vertumnus
Lupodium
Licentia
Nebulonium.
Alearū.
Auctore Iacobo Bidermanno. S.I.
Chorea.
Furlandiæ Pars.

tam nondum haberet: de quo, ſi palam fieret, facturam ſe quod res poſtularet. Placuit Draconi juxta ac homini conſilium. Reviſunt proinde ad tetrum funeſti hoſpicij carcerem, quò ſimul atque ventum eſt, Vulpecula in penitiores ejus receſſus ſe abdit, identidemque intervallo excurrit: modò cæci ſpecus horrorem, pedorémque damnat, & præ eo quodvis ergaſtulum elevat; unum tamen mirari ſeſe, quomodo in loco cætera arcto atque impedito is tot noctes ſpirare evaluiſſet. Ægrè id adeò moleſtéque accidiſſe, ajebat Draco; nam depreſſo capite, contractis caudæ orbibus, corporéque propemodum eliſo, nihil ſe uſquam liberi habuiſſe: ejus ut rei fides ſit, velle nunc eodem ſe irrepere. Hic laudare conſilium vulpes, ingenioſè factum dicere, hortari etiam, ut properanter inſerperet, & qua poteſt, adjuvare. Jam inde proſpectabat Serpens, cùm Vulpes in primis antri anguſtiis alia ſcitari, fallendo detinere atque avertere; alia admirari, alia condolere viſa eſt. Interim Ruſticus anxiè pro ſpelunca, ſi quid juberet Vulpes, præſtolatur, ſaxo proximè amoto innitens: cùm ecce tibi adductiore cauda

Vulpes dat ſignum, & ſaltu è faucibus ſpeluncæ in transverſum exilit. Simul & Ruſticus præcepti memor viribus quàm poteſt maximis lapidem eò, unde priùs avellerat, reponit, itáque monſtrum in veteres ergaſtuli latebras conpingit. Tum demum Fortunæ ludibria patuêre, Ruſticus ex orco ad ſalutem redire; Draco, ex feliciſſimo in calamitoſiſſimum mutari; iteratò vitam, libertatémque poſcere, omnia promittere, ſed auribus jam ſurdis.

16. At Vulpes ad hominem converſa: Qua fide, inquit, ego te ſervarim incolumen, in propatulo eſt; nec verbis agam, ubi res & præſens eventus judicat: Tu conſtantiâ pari promiſſum præſta. Paganus ubi Vulpi verbis ampliſſimis gratias egit, poſt horam diei ſeptimam deliberare cœpit, urbem etiamnum, an domum peteret? Ubi verò animadvertit in conflictu ſuperiori omnem ſe pecuniam perdidiſſe; ad hoc etiam ſolem occaſum imminere, ſtatuit ad uxorem redire. In reditu verba, quibus uxorem de ſuo reditu doceat, meditatur, ſibíque non dubios illius gemitus pollicetur: jámque id unum ſtudebat, quo tandem pacto luctum fæmi-

næ medicaretur. In eam intentus cogitationem ad villam propinquat. Sed etiam mulier inter hæc moram pertæſa, horas & momenta in digitos mittebat: cúmque in expectando marito magnam diei partem fruſtra fuiſſet, ſubiit ſuſpicari, virum alicubi ſe in ganeas immerſiſſe, &, quod fœminis ingenium eſt, continuò ficta pro veris habebat, quare ſe adverſus rediturum armat. Interea ſub primam noctis facem maritus ab oſtio vocat, atque aperiri jubet. Adeſt inter primos Villica, & ad maritum à via & mali metu exſanguem: ita inquit, omnes te Inferi, inferæque agant helluo, adeóne certum tibi eſt, nihil mihi, nihil liberis reliqui facere? Parabat excuſationem Villicus; ſed fœmina os pugnis occupare, pedibus ferire, & per capillos lamentantem in cubiculum trahere. Cogitabat interim Ruſticus mulierem faſcinis infeſtari, aut certè à mente excidiſſe, cùm illa identidem verberando opprobraret, ubi rem ſuam Aſotus prodegiſſet. Abjurare ille, & urbem ſe nunquam ingreſſum contendere. In mercatum, inquit illa, non in popinam mihi, ganeo condixeras. Vix ille tandem in-

duciis, quoad illius diei infortunium exponeret, impetratis, ex ordine omnia recenſet: Ac demum qua lege cum Vulpecula condixiſſet, quáque libertate in cortem mox graſſatura eſſet infelix oſtendit. Cortem ubi mulier ferox nominari, periclitaríque cognovit, in furorem acta, virum omnibus ſuppliciis tantùm non internecat. Placuit tamen poſt diuturnam verberationem, illum ut erat, à via famelicum in cameram id noctis concludere, ubi crapulam edormiret, quam nunquam ſomniaverat miſer. Porrò mulier gallinas, pullóſque in tutum migrat, ſervúmque bene validum evocat, qui pro ædibus vigilias agat, eum, quid ſui conſilii ſit, docet, Cetera, pro eo, ac cum Vulpe convenerat, oſtendit. Ita ſtationibus diſpoſitis reliqui curatis corporibus in ſomnum concedunt.

17. Vigilabat dudum Vulpecula, & à proximis ſilvis poſt primam vigiliam egreſſa, concubia nocte ad villam adeſt. Quam ubi nullis impeditam repagulis conſpexit, nec ſe à canibus latrari, fide hominis laudatâ, ſuſpenſo gradu ad prædam intendit. Patebant hic omnia, & ſilentium Vulpem animat, Jámque illa

illa ſibi Faventiam, Lubentiámque adeſſe rata, ſe in caveam irrupit, ubi jugulatis pinguioribus pullis ſilentio rurſus abſcederet, ad ſaginam eandem, identidem, ubi fames ſuaſiſſet, reditura. Verùm illa dum circumit, & in vacuum virgarum ordinem iterum, ac ſæpiuſculè offendit; verna qui poſt januam pridem in inſidiis latebat, circumeuntem fuſtuario ſalutat, ictúque duplicato elumbat. Vulpes præter opinionem excepta ſerò temeritatis ſeſe incuſat, conſiliúmque imprudens reprehendit: Et, merito, inquit, meo iſthæc patior, ſciebam hoc ſummis beneficiis præmium ſolvi, quod experiri non meo malo, ſed alieno confiteri debebam. Hoc tamen mihi nunc Epitaphium eſto.

VIVEREM. NISI. ALIUS.
MEO. BENEFICIO.
VIXISSET.

Nondum hæc integrè dixerat, cùm ſupernè tertium fulmen incumbit, exanimémque ſolo affligit. Ita, quam peſtem ab homine pagano averterat, in ſuimet exitium properavit.

Subriſit poſthæc Hugo: & nunquid bellam ego vobis fabellam, ami- 18.

ciſſimi virorum ? Bellam profectò, inquam,& elegantem, quámque omnes Roſcii agant, & totus Orbis ſpectet; videret ſanè expreſſam ſui imaginem ad amuſſim. Id verò unum mihi ab hujus Vulpeculæ ingenio peregrinum videtur,quòd inſidias & fraudem ſuſpectam non habuerit, nec meliori lege pacta, mitti ſibi ejuſcemodi prædas ſtato in ſilvas tempore imperaverit. Nam fefelliſſet licèt Villicus, vitam tamen illa & fortunas ſuas ſervâſſet. Reſpondit Philippus, luiſſe nimirum hîc verſutam eas, quas & jam & aliquoties aliàs dolo malo fraudes concinnaſſet. Nam præter innumeras alias, quàm fuit ridicula illa, qua Lupum verſipellis decepit ?

19. *Vulpis aurigam & Lupũ decipiẽtis fabula.*

Hyemebat fortè cœlum, faméſque altiùs in viſcera deſcenderat, cùm Vulpes dudum impranſa in pabulum memoratur alicundè exiiſſe. Ea,ut in apertum evaſit, procul in aurigam intenta moliri apud ſe occepit, quibus hominem opportunè dolis ductaret, famémque ſtomachantem eo Prætore in jus ambulare cogeret. Ita in publico, qua parabat auriga trajicere, procumbit effuſa quadrupes eo corporis rigore, ut vixiſſe pejeraſſes; id loci in omnem even-

ventum parata hominem præſtolatur. Qui ubi appetiit, bonum factum, Vulpeculam conſpicatus, flagellum expedit, illúdque ſtrictim in Endymionem, qualem primitus ſibi finxerat, & contemptim incuſſit: inter quas illa plagas dolore compreſſo maſculam Stoicæq; factionis diſciplinam confeſſa egregiè durat, hominíque, nondum planè experienti, imponit; quando is feram frigore peremptam ratus, ab ejus exuviis aliquod pectori ſuo adverſus hyemem fomentum vanus ſperabat. Quare ab extimo pede ſublatam, in ſuum projectim vectabulum excutit. Enimverò Vulpecula hîc artes ſuas exercere, in vitam ab ementito funere redire, & gnavam famelico ventri advocationem facere inſtituit. Cum ecce tibi præpinguem ſuilli aqualiculi aruinam nacta, eâ ſuum abdomen illecebrâ uſque adeò infarſit, ut mirum eſſet, ni creparet. Tandem ubi ſatietas lardi fuit, currúmque Vulpes nauſeare, ac ſaltu in pedes ſe conjicere, cœnæq; dictatori gratiam cæpit meminiſſe; homo illuſum ſe videns, intemperiis agi, & deſperatâ vindiciarum lite verſipelle monſtrum conviciis proſequi, inferíſque inferias vo-

vere necquidquam perſiſtebat.

20. Atqui Vulpes in ſilvam compendio regreſſa, dum ſe opimis ſpoliis gravem ipſaque felicitate feſſam prædicat, in obvium incidit Lupum, malè habito corpore, deque ventris injuriis impensè quiritantem. Incuſat proinde ejus inertiam illa, & extremi ingenii vappam, nulliúsque conſilii pecus appellat Nonne me vides, inquit, ut ipſam egomet mihi Fortunam clientem fecerim? Plus nauſeæ à deliciis affero, quàm tu famis in illas. Satietas cum omni familia in ventre eſt, odítque anguſtias contubernii ſui digna laxioribus aulis. Tibi interim macies pro patrimonio eſt, & prandium fames, & ventris pro ventre locus. Quin expergiſceris tandem, & audes facinus

——— brevibus Gyaris & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquid. Probitas laudatur & alget.

Advertit Vulpem poëtari Lupus, conſilióque præſtare. Igitur eas artes ubi didicerit, rogat, quibus & verſus faceret, popinam inveniret? Tum illa, &:

Quis expedivit Pſittaco ſuum χαῖρε.

Picásque docuit talia verba conari
Magiſter artis ingeniiq; largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.
Quod ſi cupita ſpes refulſerit cœna
Lupos Poëtas, & Poëtridas Vulpes

videbis repentè fieri. Inſcitum ergo, inquit Lupus, ego Magiſtrum habeo, qui ne litteram illorum docuit. Verùm ego de poëſi nō magnoperè in præſenti crucior; artem propinandi hodie ſi comprehendero, docilem ego me diſcipulum putabo. Incæpit Vulpes, atque ubi tam lautè corpus curarit, quámq; in aurigæ penu annonam aut invenerit, aut corruperit, prolixè, diſertéque narrat. Deinde Lupum, ſi tergus ad ſcuticam paullum perpetiendam aſſuefacere poſſit, in ejusdem ganeæ polluctum invitat. Promiſit ſe Lupus in illius poteſtate futurum; imperaret tantùm, quid facto opus foret. Docet igitur Vulpes, quò ire, quidve facere eum ſigillatim velit; ſeque dato negotio in tutum migrat. 21.

Cæpta jam erat fabula, cùm adeſſe convivatorem ex flagri crepitu cognoſcit, séq; ad cænam verberibus licitandam componit. Auriga extentum propter viam lupum ut vidit, recentem

in illo Vulpis dolum recordatur. Jamque exercitatior; næ tu mihi, inquit, opportunè lues, quod tuæ Magiſtræ modò impunè fuit, & non etiam tu me tyro ludos habebis. Quare flagello clam rejecto, manus prægrandi, & querno fuſte obarmat, quem ſtatim viribus gladiatoriis in macilentæ belluæ latera ridiculus impingit. Lupus etſi magno ſtaturam cœnam cogitabat, ſi alterum id genus pro cœna ſymbolum eſſet exspectandum; imperat tamen ſibi, plagámque unam Spartanâ nobilitate concoxit. Interim repetito fulmine Ruſticus in perſonatum incumbit, atque omnem ejus audaciam expugnat. Quippe Lupus hic nihil diſſimulandum ratus, neq; talia flagelli pondera inſuper habenda penè elumbis conſurgit, & poſitâ perſonâ, quâ licuit, erumpit. Poſt ut in tuto ſe ſenſit, eminus ad aurigam reſpectans, gratiam ei habuit, quòd ſe tam comiter experrexiſſet. Eum deinde ipſum ferunt cum liventibus ſcapulis, & toto corpore in tumorem verſo ad Vulpem revenisse, rogatúmque, quî pabulatio ingenioſa ceſſerit, reſpondiſſe, adeò ſe ſaturum ebriúmque, ut ſi paullò largiùs ab illis eduliis ſumeret, rupturus ilia fuerit.

Cete-

Ceterùm nec optare ſe quotidie tam fumantes culinas, ubi ea fercula pararentur, & malle ſe viliùs dehinc cœnare, quàm talibus cupediis ventrem infercire. Ita abiit in ſylvam ille quidem, ſed Vulpecula in riſum. Nam ex ægro ejus inceſſu facilè conjecit verſuta, quàm pro præda Lupus ſportulam tuliſſet. Idcirco nequirer, quid ita lentus graderetur? eſt ſcitata: an tantilli flagelli titillatu offenſus eſſet? Cui ille; præ utero, quem ferret, gravem ſanè, atq; à crapula impeditum feſtinare non poſſe. Inter hæc ego cognoſcere me velle oſtendi, ecquæ ejus deinde Lupi fortuna fuerit, quem malè delumbatum & illuſo ventris murmure jejunum quidem Paganus, & cum exſucco flagri ferculo dimiſerat. Hugo, ſibi verò hæc præterea comperta eſſe, quæ liquidò in antè diem VI. Kal. Febr. Glacernone & Gelidino Coſſ. dicerentur contigiſſe.

Lupum, inquit, illum altera fames ſollicitabat, cùm primam nec dum omnem expugnaſſet. Cui morbo ut remedium afferret, ad eandem incallidus Vulpeculam regreditur, cujus feſtivos pridie doſos tanto ſibi ſtetiſſe meminerat. Atque illi, jam, inquit, doce, quid 22. *Lupus Piſcator*

fieri me poſſit. Viden' hanc tu corporis maciem? arida hæc buſtuarii oſſa ſolaribus radiis dudum conſpicua? Nimirum has venter creat moleſtias; & niſi ſuo commento moleſtum hunc mihi hoſtem eſſe prohibeo, vixi. Negat ſibi uſpiam Vulpes laridi, aut cerealis epuli menſas in poteſtatem eſſe. Sed ſi fortunam, inquit, experiri tamen lubet, alicunde licebit eſſe. Ille; velle ſe verò omnia, quæ Vulpi viſum ſit. Rogat illa, piſcari num aliquando didiciſſet? Negat Lupus, ſed ſe hoc genus eſcam ut raram, ita voluptuariam haud perinde aſpernari. Ergo agedum, inquit Vulpes, cœnaſti. Patinarias ego tibi ſtruices, quæ follem te plus, quàm trigonalem faciant, concinnabo. Lupus hîc omnibus lætitiis geſtire, præ gaudio vix ſe ipſe capere, è veſtigio vulpeculam, quacunque ducebat, conſequi. Ventum eſt deniq; ad algentis ripæ crepidinem, unde in congelati amnis glaciem deſpectus erat. Hiatus illic fatiſcebat, quem undis ac piſcibus bono aperuerant. Et Vulpes: hic par, ait, horarum ſtationarius miles excubabis, caudæque ſyrma fluvio immerſum, priùs haud emerges, quàm creber piſcium ligurientium morſus

ſus caudam tibi vellerit. Enimverò tum ſqamigerum pecus , & optima fluvii ſpolia triumphabis. Condicit ſtupidiſſima fera, ceſſimque ad fatalem hamo ſuo voraginem abit; atque ibidem cum incredibili frigoris contemptu pertinaciſſimè tenet.

Cæpit interea coire glacies, ac ſenſim cum lupo, qua parte ad aquam pertinebat, coaleſcere. Jámque eâ ſe numellâ incluſerat; cùm tandem aliquando polyporum acetabula, & aquatiles illos dentones eductùrus, circumſpicit. Et eccum venatorem inter conjurata moloſſorum agmina ruentem. Lupus periiſſe illo ſe aſpectu rátus, dum in eo eſt, ut fugiat, nexu hiberno vadatum attineri ſe ſentit. Quid jam hic agat infelix? maneat? minantur canes. Abeat? intercedit glacies. Vicit tamen, ut abire vellet. Ergo dum glaciem imprudentius eluctatur, rupta dimidiatur cauda, quæ inibi oppignorata Lupo infame ſtigma reliquit; periculi tamen ſecurus, incolumis cetera in ſylvam evaſit. Qui dein Vulpeculæ obviam factus, ut inhoneſti vulneris nondum coalitam cicatricem excuſaret, clementer ſecum egiſſe Fortunam dicebat, quæ tantam piſci- 25.

piſcium vim immiſerat, ut etiam cauda pondere victa & vitium fecerit, & nimiam capturæ felicitatem expiârit. Ferunt alii Lupum non diſſimulâſſe; ſed liberè de fugâ confeſſum eſſe. Rogatum verò ubi partem ſui amiſiſſet, reſpondiſſe: pro periculo nimirum ſibi de via ſecedendum fuiſſe: útque poſtliminiò ad prædam jam feliciter captam, certiùs reviſeret; locum depoſitâ caudâ inſignē feciſſe. At canum rabiem in relicta inſignia, cùm in ſe non poſſent, animadvertiſſe. Palpitantem verò & laſcivientem piſcium in glacie ſaltantium petulantiam uſque eò caſtigaſſe, ut ne unum quidem vivum, vegetúmque pòſt viderit: Indè eſſe, quòd tam ſaturo, ſuffultóque paluſtribus mullis utero, lætus, hilaríſque incedat.

24. *Ovicula & Lupus.* Audiebat hæc fortè ovicula; quippe per paſcua à grege deerraverat, Lupóque procul viſo inter veprium anguſtias timida conſederat. Ea malè tum decepta, quòd ſaginatam crederet Hyænam, neque ab illo tum ſaturione ſibi metueret, prodit, viámque pergit reliquam pergere. Sed prædoni conſpecta, mox in prædam ceſſit. Cúmque lanianda, identidem illa diceret, nullum tamen

men in occupato ventre locum fore: & præterea periculum eſſe, ne poſt tantam ingluviem febrire lupus incipiat, atque in improbam voracitatem mors vindicet. Quòd ſi parcere in præſens vellet, ſe paucis poſt diebus cum fœnore redituram, & gemellos, quibus fœta jam ſit, adducturum. Quare expectaret tantiſper; eáſq; in epulas novam famem colligeret. Lupus in Lupi modum reſpondit: ſe verò nunquam ita pranſum eſſe: quin & cænare adhuc poſſet. Deinde ſibi committendum non eſſe, ut tantam dimitteret prædam; in quâ unâ tantam ſciret familiam incolere. De febri niſi ait eſſe metuēdum: medicum ſibi ſe eſſe, atque illico ab agnis medicinam facturum. Nec diutiùs fuit & ovicula periit, & Lupus inſperatò famem lauto convivio placavit. Inter has, aliáſque fabularum vices dies in veſperum abiit: nóſque in cænulam & ſol, & fames invitavit, quibus parendum rati domum, non ſine egregiâ animi reſtauratione diſceſſimus; eâ conditione ac lege, ut, poſtero die, in eundem & locum & ſermonem rediremus. Ut promiſſum ligaremus, manus miſcuimus.

UTOPIÆ DIDACI BEMARDINI.

LIBER SECVNDVS.

1. *Secunda diei ambulatio & colloquium.*

EXHAVSTA nocte, nova ſomnia novâſque fabulas dies aperuit. Nec jam multum diei expectatum, primâ aurorâ adſunt ad fores, & pactis legibus abripiunt potiùs, quàm abducunt. Atque ut ad ſeram uſque lucem nobis liceret eſſe lætis, prandium juſſit in ſilvulam ſequi Philippus. Ad locum ubi ventum eſt, ex humeris pallia in arborum ramos, nos in gramen abjicimus. Nec diu ſilentium tenuit. Aſcræum hoc nemus eſſe putemus, inquit Philippus, & hortos Muſarum, in quibus, velut ad Caballinum fontem, etiam aves poëtantur; nam ecce, ut canunt? Canant, ait Hugo, nos, dum illæ modos faciunt tibiis paribus dextris & ſiniſtris, ſubjungamus fabulas. Subjunge, inquam, & telam, quam heri orſus es, hodie pertexe. Mea fabula, inquit Hugo, heri,

cum

cum die, finem habuit; hodie ex ordine Philippus aliquid nobis memorabit. Immo iſte, ait Philippus (& ſimul me monſtrabat) qui, cùm paſſim audiat

——— lepôrum
Diſertus pater, & facetiarum.

jam etiam ita ſinum fabulis, & buccas verbis implevit, ut ipſi oculi illius in memoriam miſſi dictionem videantur parturire. Incipe igitur, ait Philippus, paratos habes Auditores. Imperare potes, inquiebam, quando hodie tuum panem comedemus. Obſequor, aures date.

Poſtquam annos non paucos inter amicas litteras, & ſuaviſſimos ſocios haud ſanè otioſus laborator conſumpſi; jamq; ad finem ferè ſtudiorum anni laberentur, placuit tandem manum ferulæ ſubducere, & peregrinas terras, & alios Orbis incolas viſere, quando jam pridem nativum cœpi ſolum nauſeare. Neque tamen abſque comite in ignotũ excurrere cælum libuit, ſed commilitones aliquot, ſi quos poſſem, in idem conſilium vocare conſtitui. Aperio itaque animum animis meis Georgio & Antonio, quibus, quòd jam idem meditaban- *2. Iter in Vtopiam.*

tur;

tur, non adeò difficulter perſuadebam. Rebus proinde domi ex animi ſententia compoſitis in viam nos damus, certi Cimmerios orbes perluſtrare, & aliarum gentium diverſos mores intueri.

3. *Obvius miſer.* Tertium jam diem in itinere eramus; cùm poſt meridiem ſilvam ingreſſi obviam haberemus adoleſcentem pannoſum illum ac lacerũ; ſed quem è vultu poteram non infimi ſanguinis colligere. Hunc talem adoleſcentem colloqui aggreſſus: Salve, hoſpes, inquam.

— quibus orbis ab oris?
Hac iter eſt? quo te porro pedes?
Qui genus? unde domo?

Satin' alibi terrarum res ſalvæ ac civiles? Ingemuit adoleſcens, & poſt aliquot ſuſpiria, in largas lacrimas ivit. Ego cum territum illum à me id loci arbitrarer, ubi prædas alioquin agi familiare eſt; eximere ſcrupulum parabam; & quid à nobis, inquam, metuis adoleſcens; alios tu nos eſſe puta, quàm qui ſanguineo lucro vitam toleremus. Adde, quòd ea rerum tuarum facies ſit, quæ nullius ad ſe, quantumvis avidas manus, invitet, quin imò

Cantabis vacuus coram latrone viator.

Fare

Fare, inquam, quid alibi rerum agitur? Tum ille miſerabili voce ad me:

Ah fuge crudeles terras, fuge littus avarum.

inquit, & ſimul impenſiùs flere perrexit. Ego verò, quid hoc rei eſt; inquam, quid factum tibi exiſtimem? Narra, ſodes, nec diu nos ſuſpenſos trahe. Et adoleſcens, ſi lubet, inquit, inſomnium meum diſcere, accipite.

Minùs decem dierum, eſt, cùm è patria profectus, & equo auroq; abunde inſtructus in hos Cimmeriorũ fines deveni. Eſt hîc in vicinia mali nominis oppidum ſitum, quod nudius tertius equidem ingreſſus, ut ubi noctem degerem, ſtabulum quæſii. Reperi diverſorium latum, & cujus inventi me nequaquam pœniteret. Ibi dum cœnula adornatur, ego veſtes mutare, &, quem pulcherrimum habebam, torquem induere amens, inq; eo ornatu urbem aggredior perambulare. Converti multorum oculos in me & alios torquis nitor perſtringere, alios veſtium cultus advertere, aliquibus etiam marſupium viſum eſt ſubolere. Quod ego, tametſi conjiciebam, tamen patrio more ſimplex nihil gravius formidabam. Satu-

4. *Hoſpitiũ in hoſpitale.*

ratus

ratus urbis ſpectaculo, ad hoſpitium revertor.

5. *Ficta cognatio.* Adeſt è veſtigio puer ſcitulus ille, & mirè diſertus, evocat : venio ; ait heram ſibi ſuam negotium dediſſe, ut me perquàm officiosè ſalutaret, quippe eam magnoperè gratulari meum in urbem adventum. Id porrò unum ſtomachari. quòd cognatis ædibus tabernam hanc tam humilem prætuliſſem : Rogare, pro veteri neceſſitudine, ut cum equo ſarcinâq; ad ſe tranſeam, neque id committam, ut hoc dedecore fæmina princeps afficiatur, atq; à cognato velut peregrina repudiata exiſtimetur. Vidiſſetis mihi linguam & aquam hærere, tóque vultu ruborem emicare, ita nihil promptum erat neq; quod agerem, neque quod reſponderem. Dixi tamen gratam me ejus matronæ humanitatem habere. Cæterùm non eum eſſe, quem illa fors opinaretur ; neque ullum id loci cognatum me ſanguinem ſcire. Daret proin veniam, ut in conducto manerem. Puer hæc omnia eleganter eludere, nullúmque heræ errorem fateri. Nam certè eum me eſſe, qui nobili loco in terrâ Germaniâ ſim natus, ídque heram ut ſuum nomen meminiſſe ; nec aliam

aliam, quàm ſororem patruelem eſſe: Addit patriæ patríſque nomen, & plura talia, quibus fidem pertinaci faceret. Hic cœpi, fateor, vacillare, &, me venturum promittere. Et puer, non id agi solùm à Dominâ reſpondit, ut venirem, ſed ut jure meo totum hoſpitium ibi, cæteráque mihi caperem; ac, ni vellem, enimverò vim allaturam, & fratrem patruelem jure cognitionis ad ſe pertracturam. Quid multis vos moror; perſuaſit; tranſeo, pueróq; & me & equum & ſarcinas permitto. Interpellavit hic Corſicum Antonius (nam id adoleſcenti nomen erat) & quæſo te, inquit, an adeò obſtupueras, ut numerũ familiæ tuæ in digitos mittere non poſſes? téq; priùs examinares, quot fratres tibi, quot ſorores eſſent? Aut Donium miſer Ægyptúmque patrem habebas, ut longas cognatorum centurias memoria deſperaret? Nam ridiculum eſt, inſperatò & peregrè mihi conſanguineos preſertim adultos obvenire. De infantibus non mirarer: niſi tu hoc ipſum fortè credidiſti, Matres Cimmerias una nocte tam grandes partus edere. Atq; ego, inquiebat, omnia cogitabam; ſed ea fuit ſive mea ſtultitia, ſive fœminæ verſutia, ut

non

non ſolùm mihi id perſuaſerit, ſed feliciter matri meæ perſuaſura fuiſſet, ſi filiam ſe ejus mentiri voluiſſet. Nunc reliquum cognoſcite.

6. *Hoſpitis exceptio.* Ad primum ædium limen expectabat adoleſcens cum ambitioſo puerorum comitatu: famuli erant aliquot, & ſenex torquatus, quem familiæ præfectum dictitabant. Illi me omnes venerati Dominum, per ædium atria deducunt; inq; amplâ diætâ, quam omnem periſtromate & aulæis ornârunt, relinquunt. Ibi mihi immodicè felix videbar, qui tales peregrè cognatos inveniſſem, & ego mecum: quàm inhumani nos ſumus, inquiebam, qui domi propinquos etiam noſtros aſpernamur: iſti, vel invitum invitare, & homini peregrino tam amicam vim afferre contendunt. Nempe neſcio quid barbarum habemus, præ ut iſti ſunt elegantes & concinni. Ajebam adhuc talia; cùm inferuntur menſæ, & ſequitur Matrona cum grandi familiâ, meq; honeſtiſſimè ſalutato, & iis, quæ principio ſolent, factitatis: quam ego te, inquit, Corſice, libens accipio, poſtquam viginti ſunt anni, cùm neminem mei generis conſpexi:

Et

Et nimirum hæc ſunt indicia, quæ fratrem mihi hodie repræſentant,

Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Sciſcitatur dein ſenem, an lineamenta domini ſui agnoſcat? Ille ad amuſſim omnia, & frontem,& vocem,& greſſum; nec ſe ovum ovo, nec lac lacti ſimilius vidiſſe. Cupiebam ego interea vehementer noſſe, quis qualiſque ille frater fuiſſet?ne ſi homo,aut nullus,aut abſurdus eſſet, ineptè mihi hac ſimilitudine gratularer. Verùm illi me, ut quidquid inchoabam, mendaciis obruere, & ſermones aliorſum flectere incepêrunt.

Sic tamen accumbimus. Ego ſummus: inferior cognata; ſiniſter is,quem dixi adoleſcens, qui ſe filium hæredem ferebat;infimo ſenex. Pueri menſam undiq; coronabant. Inter antecænia multa de valetudine parentis, déque rebus patriis confabulati, videmus lancem apponi. Quâ detectâ,quatuor cœperunt teſtudines erepere, grandes illæ, viviſq; ſimillimæ, ni inteſtino rotularum ſtridore proderentur. Argenteis ſupra ſcutis defenſæ: capita illis pedéſq; modicè prominuli,naturam inceſſu, & articulorum flexu ſcitiſſimè fallebant. Quo attoni-

7. Convivium.

tonitus miraculo, dum eventum expe-
cto; video earum unam in meum orbē
ire, ibíque feſſam, velut ad Herculis co-
lumnam ſit ventum, non ultra tende-
re, ſed pedibus intra ſcuti munitio-
nem receptis, acquieſſe. Igitur ſenex, beati ſumus, inquit, quibus otioſis has contigit feras excipere. Fœtæ ſunt opinor, aut ſub ſarcinis inceſsêre. Tentemus, an uterum in dorſo ferant; dimotóque ſcuto tergi, uberes oſtreas educit, quæ delituêrunt. Mox, jubeo tollere, inquit, hunc partum, bonæ indolis eſt. Et cum dicto concham omnē extorſit. Sequimur audacter nos dorsúmque ſcrutati ſimilem inde prædam extrahimus. Direptis inter hos riſus oſtreis, teſtudines jam exoneratæ ſuámque legationem perfunctæ ſe ipſæ circumagunt, versóq; gradu ad lancem, unde egreſſæ, expirant. Non tenui me, ſed ad conſanguineam converſus; Per fidem, inquam, ubi terrarum hodie ſumus? Orphéum hoc mihi theatrum eſt, ubi

Repſerunt patinæ, mirandáque cœna cucurrit.

Quare manus huic ego jam vitro afferam, ne & ipſum incipiat ambulare, & me tanta vini temulentia Tantalum face-

facere. Simul igitur atque poculum hauſi, pueros audio ſymphoniaco non abſurdo carmine muſicam inchoare. Finierant illi, & ego jam audacior, dum alterni narramus & rogamus, in materiam delabor ſciſcitans, quemadmodum Druſilla (nam ita ſe Soror nominabat) cò loci ſola pervenerit? Ad quæ altùm illa congemiſcere, cæterique mihi oculorum nutu innuere; ego ſtupor nondũ intellecto, quid vellent, pergere, & Druſilla in alterum potiùs diem promittere. Tantò avidior ego & importunior, ut immò ocyſſimè fieret, urgere. Hîc illa, quanquam animus, inquit, meminiſſe horret, quippe quòd triſtia ſunt, & inter dapes adventitias vix memoranda.

Si tibi tantus amor caſus cognoſcere noſtros,

impero mihi, & hunc Damoclem ſenem, qui teſtis ipſe interfuit, jubeo paucis explicare. Continuò ſenex:

Anni, inquit, ſunt undè triginta; æſtáſque erat ſupra quàm dici poteſt æſtuoſa, quo tempore bellum inter nos regémque barbarum acre & internecinum ardebat, mutuæ utrinque clades & damna fieri; nullus nõ dies aut inſidiis, aut

&c. Prolixæ ſenis cõvivantis garrulitas, de

variis caſibus. aut prælijs funeſtus eſſe. Atq; evenerat fortè, ut ego fratérque meus cum tribus remigibus lembulo conſcripto, in proximam inſulam traijcere, atque ad claſſem noſtram ibi in anchoris ſtantem neſcio quæ mandata referre jubeamur. Nos gladio ſolùm, & pugione accincti proficiſcimur, tanquam ad amicos ituri. Jam in conſpectu claſſis erat, & ecce vẽti repentè nos adorti diu nequicquam obnitentes in latus abripiunt, pérque totam noctem jactatos noviſſimè ad ignotum littus eijciunt. Incerti ubi eſſemus, primo diluculo exſcendimus, locíque ſpatium oculis emenſi ad primum lapidẽ caſtra poſita videmus, ejus ipſius Regis, qui cum bellum habebamus. Hîc metu exanimes alter ad alterum aliquamdiu intuemur, & conſilio in capillis fruſtra quæſito; ego prior, quid agimus frater? in Polyphemi antrum devenimus, unde exire niſi luculenter audaces non poſſumus. Túmq; ille, nondum nos viſos eſſe dixit, cóque latere nos poſſe, dum per alteras tenebras effugeremus. Ego, non vides, inquam, ad littus acceſſitare? capti utique ſimus, aut in eo ut capiamur. Nam quis Ulyſſes fallere in hac vicinia tot oculos ſperet? quis fuge-

fugere aut navigare ? Stant circa innumeræ naves,& cymbæ, quibus mox inſecuturi è fugâ nos retraherẽt:inde quæſtionibus ſubditos Imperatori arcana, quibus conſcii ſumus, vulgare cogent. Ita non proditi ſolùm, ſed etiam proditores erimus. Rurſus ille; quin ignes inijcimus his cymbis omnibus,copiámque hoſtibus inſequendi adimimus?tum tutò eos fugiemus. Ego, ſanè, inquam, ſi undis pro fomite utamur, jam ardebunt. Ceterùm cùm nuſquam ignis in promtu, & nos ipſi tam mortui frigore ſimus,ut quodvis incendium reſtincturi videamur, poteras aliquid ſtultiùs nunc ſuadere? Varia dein agitantibus, militum globus propinquabat: cùm in arenâ ſubijt conſilium, ut pro telo audaciam, pro ſcuto ingenium ſumeremus. Quid enim? moriamur frater, ajebam, alioqui morituri, aut ſi mori non ſedet, hoc ſtratagemate vivamus. Aperio dein mentem, jubeóque illum macte animo eſſe, tres item comites cum telis ſubſequi, nihil timidi præ ſe ferre, ſed eadem omnia agere, quæ à me fieri viderent. Secundùm hæc ramũ ab obviis vigultis decerpo, olivámque eſſe jubeo, idem & comites faciunt, atq; una mecum ad

caſtra contendunt. Procurrunt indidem extra vallum multi, ac præſertim è ſtatione miles barbarum frendens, rapto volat enſe, & procul exclamat:

....ſtate viri. Quæ cauſa viæ, quíque
eſtis in armis,
Quóque tenetis iter?

Ego præfidens animi

Paciferæ ramos ſocios prætendere o-
livæ

jubeo, méque mei Imperatoris Legatum elevatâ voce reſpondeo; ferre mandata ad Imperatorem, cujus ſi colloquendi fiat copia, res magni momenti expoſiturum: ſi audire abnuat, jure fidéque publicâ diſcedere rurſus liceat, poſtulare. Continuò in caſtra deducimur, regémque ſtipante militum coronâ venerati, aliqua in ſpeciem profamur; cætera, quod ſecreta ſint, ſine arbitris indicaturos oſtendimus. Rex nihil doli metuens, jubet illico turbam diſcedere. Nos circumfundimur, Regémque complexi, cui rei adſimus, docemus. Tempeſtate actos ad hoſtilia littora deveniſſe; nec neſcire in quo diſcrimine verſemur: utrique morituros nos, ſed nobiſcum etiam Regem: quippe, ſi

pe, ſi quam ſuorum opem, nutu aut verbulo poſtularet, ſi item ſuos propiùs accedere, aut moveri unquam ſineret, telum priùs latere Regis hæſurum, quàm nos violaremur. Simul pugiones diſtringimus, & Regem in metu officióque continemus. Statuam vidiſſetis, non hominem, ita obmutuit, hoc ſolùm ſcitatus, quid porrò in animo haberemus. Reſpondeo cupere nos in tutum redire, id quia conſecuturi non fueramus, niſi ſingulari audaciâ defenderemur, hactenus progreſſos fuiſſe, ut Regem pro obſide caperemus. Sequeretur proin nos, nutúque ſuos omnes arceret, perijſſe, ſi quid vel ipſe detrectaret, vel cives ſuos moliri videret. Ita Regem è prætorio captum inermes producimus, & multis armatorum millibus primò obſtupeſcentibus, pòſt acceſſu prohibitis, demùm ubertim complorantibus, ſolvimus, Rege ipſo, ne defenderetur ſupplicante. Juſſi tamen duo nautæ, ſubſequi cum phaſelo, à quibus Rex poſtmodum reveheretur, quem cùm nos periculo defuncti videbamur, fide optimâ remiſimus, dubij beneficium Regi dediſſemus, an à Rege accepiſſemus.

Cùm hæc memoraſſet loquaciſſi-

Loquacis castigatio.

mus ſenex, nihílque dum ad Druſillam oratio ſpectaret, ego, quia vino incalueram, non tenui riſum, ſed ſilicernio deliranti, mox, inquam, dum cognatam quærimus, à te uſque in Africam abducimur, jámq; periculum metuebam, ne

Ad Cannas Mithritaticúmq; bellum,
Et Sullas, Marióſq; Curióſque.

hoc tuo orationis æſtu abriperemur. Quòd ſi, ut ſenex es, omnis tibi memoria excidit, cogita, nos ſororem, aut conſobrinam quærere incepiſſe, adeóq; litem de tribus capellis conteſtatos fuiſſe. Sin autem longiùs adhuc trahere conſtituiſti, quæſo te, per caput tuum, parce pedibus meis; nam oppidò feſſi ſunt, & ſopori, quàm itineri jam aptiores.

10. *Fabula continuatio.*

Hæc me ſemipotum cachinnantem, ſenex ferreâ patientiâ tolerabat. Atque hæc, inquit, etſi remota eſſe videantur, ad rem tamen pertinuiſſe mox videbis. Siquidem remiſſo, ut convenerat, Rege, nos ſub meridiem intempeſtiviùs elati alter alteri gratulamur, ut qui fortiter fecerimus, caſtríſque hoſtem exuerimus, felicitate, quantâ poſt homines natos nemo meminiſſet. Nec aliud jam ajebamus, quàm quemadmodum

id

id facinus inter noſtros magnoperè prædicaremus.

Interea nautarum aliquis conſpicari eminus ſe liburnicam ait, quæ, ne hoſtilis eſſet, continuò metuebamus : Nam celerrimè ferebatur, ceu cædem alicubi editura. Ego tubum, quem optico vitro perſpicuum habebam, primò video per ingens æquoris ſpatiũ Turcicos piratas imminere, & pallidior cerâ, viximus, exclamo, niſi alicubi latibulũ invenimus, aut celeritate hanc peſtem effugimus. Igitur quidquid remorum eſt corripimus, & ad littus, quod longiſſimè adhuc aberat, properamus. 11.

------ Adductis ſpumant freta verſa lacertis
------totâmque dehiſcit
Convulſum remis roſtriſq; bidentibus æquor.

Ita conſumptis viribus & labore exhauſti appellimur, navíque inter arundines relictâ, & exſcenſione factâ, vix mille paſſibus triremem antevertimus. Erant in littore deſerta omnia, nec virgultum, quo condere ſe quiſquam poſſet; Sabuli autem acervi complures, quos ventorum turbo congeſſerat. Illuc

amentes deferimur, & deſperatione acti cavernas ibi molimur, ſabulóque ſuperobruimur, ut vel aſylum contra hoſtes, vel ſi mors immineret, ſepulchrum haberemus. Vix finieramus inferias, cũ ego modicâ mihi rimâ relicta, video triremem eundem portũ petere, quem nos tenueramus, eóque certatim omnes exſcendere. Ducentos adeò numeravi validiſſimos prædones, qui remigibus viginti, captivíſque decem in vincula compactis, dum ipſi armatâ manu oram omnem percurſarent, navim firmiſſimè religatam decem cuſtodibus permittunt.

12. Inde rationibus poſitis ubi quiſque prædam ageret, viceni quaquà verſùm excurrunt, decreto ut intra tertiam horam cum ſpoliis reverterentur. Hîc mihi per pectora frigidus horror ijt, cùm has Getici furoris belluas aſpexi, quarum aliquæ tam propè aberant, ut animæ ſonitum notare, & pedem imprimere mihi poſſent. Hîc exiſtimare vos volo, quid in hac mortis vicinia nobis animi fuerit, ubi minimus quiſque ſtrepitus mortem, aut laxior halitus carnificem vocaſſet. Verùm, iis omnibus turmatim dilapſis, & decem cuſtodibus,

de

de quibus demonſtratum eſt;relictis, libertas redijt reſpirandi. Sed quid tamen ageremus ? aut quomodo in ſepulchri anguſtiis tres inſuper horas durare vivi, ferarúmque tam immanium reditus operiri poſſemus? iſta nimirum mora conficeret, quibus barbarus pirata pepercisset. Rurſus autem prorumpere, quid aliud fuiſſet, quàm decem jejunis leonibus prædam obijcere ? Vigilant circa cuſtodes,&non tam remigum fugam quàm noſtram ſpeculantur. Igitur alterutrum audendum eſt, hoc ſabulo mori, aut horum ferro; niſi malimus vitam inter remiges degere, brevíque morti longum ſupplicium anteferre. Hæc me anxiè cogitante, quinque cuſtodes incipiunt ſecundo littore otiosè ambulare, quinque reliqui ſtrata corpora ſomno permittere. Suggeſſit hîc audacia deſperato conſilium, ut è tumulo redivivus properem,fratríque & nautis itidem refoſſis propalem:

—*Moriamur, & in media arma ruamus.*

Nam & remiges, inquiebam, quid niſi Chriſtiani ſunt & captivi, qui tam arctè ab his tyrannis habentur ? Nobis aut

mori pro his decorum erit, aut cum his evadere glorioſum. Doceo deinde, quid fieri velim, animíſque ſingulorum auctis, factâ confeſtim eruptione ſtrictis enſibus in ignavos Endymiones incurrimus, ſingulíque ſingulos adorti; priùs obtruncamus, quàm aut ſentirent ipſi, aut ſocii viderent. Hîc tendere manus captivi, & quòd patronos agnoſcerent, nutu ad ſe invitare. At nos cæſorum capita ſilentes in navim imponere, cadaverum truncos veſtibus ſpoliatos in mare abjicere, remiges captos vinculíſque ſolutos, alios pugione, alios acinace armare; his arcus, his fiſtulas ahenas accommodare: cæterùm voluimus, ut hæc omnia clàm haberent, donec cum prædâ piratæ revenirent. Nobis pileos tunicáſque cæſorum retinemus, quibus induti citiùs cautos falleremus. Nec defuit ingenio ſucceſſus: redeunt quinque primùm cuſtodes, omniáque tuta rati ex inſidiis omnes obtruncantur. Horum arma veſtimentáque iterum in remiges partimur uſque adeò, ut triginta jam in qualibuſcunque armis eſſemus. Cùm ego ſententias cæpi rogare, quid porrò fieri placeret? cenſuerunt captivi eſſe con-

tinuò

tinuò per terras effugiendum, ne expe-
ctato prædonum reditu, brevem liber-
tatem ingenti calamitate lueremus.
Riſi ſententiam. Quid enim, ajebam,
ſi fugerimus, quàm facilè in reduces pi-
ratas incidimus, retróque bis capti
Phryges in ſervitutem reducemur. Et
fac, elabi? ubi patriam, ubi amicos in
peregrino littore inveniemus? Igitur
remiges, ceteríque navigandum dixe-
runt, ut barbari navigio deſtituti, nihil
ad fugam reliquum haberent. Ego fra-
térque in eam ſententiam ceſſimus, ut
operiendos prædones cenſeremus.

Pleriſque reclamantibus, frater 13.
manu ſilentium poſcit, factáque dicen-
di copiâ, quàm nihil periculi, quan-
túmque commodi hæc ſententia habe-
ret, oſtendit. Nam plures, inquit, tri-
ginta ſumus armati, ii viceni duntaxat;
qui ut diverſi abierunt, ita ex inter-
vallo redibunt. Erimus proinde ſin-
gulis eorum turmis, non ſolùm nume-
ro, ſed etiam loco, & conditione ſu-
periores; quippe inſtructi incautos, cō-
jurati ignaros, integri defeſſos excipie-
mus: nec tam pugna nobis erit, quàm
cædes. Si enim nos hoc ornatu cuſto-
des mentiri, & vos vincula jactare con-

 ſpe-

ſpexerint, cui ſuſpecta fraus eſſe, aut latere inſidiæ videbuntur? Veniunt nimirum non pugnaturi, ſed morituri, Adde quòd prædam illorum eximiam manibus priùs eripiemus, magníſq; ſpoliis mactati & divitiis aucti, libertatem cum honeſtiſſimâ dote nanciſcemur. Et cogitare ingenuos multorum liberos à plagiariis illis abductos, eadem operâ poſſe vindicari, quibus alioquin omnibus aut ſervitus infamis, aut barbara crudelitas foret perpetienda. Nam illud quidem, quod pertimeſcere vos adverto, ne turmæ omnes ſimul irruant, videte, quàm ſit inane? Maxima circùm planicies eſt, ut redeuntes longo ſpatio præviderі poſſint. Fac igitur plures accurrere, quàm quibus pares ſimus, nunquid funes ſtatim, aut, ſi neceſſe ſit, ſolvere, aut abrumpere non poterimus? Decem paſſibus à littore provecti extra teli conjectum ſumus, ibi non timebimus quemquam, ſed timebimur. Quare hîc cenſeo in ſtatione manendum, pulcherrimámq; & incruentam victoriam cum optimis ſpoliis expectandam. Hanc fratris orationē ubi omnium aſſenſus comprobavit, aciem inſidiáſque locamus, &, quid quemque facere oporteat decreto,

ad-

adventores porrò noſtros expectamus. Interea loci, quod plerúmq; otioſi ſolemus, varia inter nos percontari, moram haud illepidis ſermonibus fallere, & quiſq; ſuam fortunam aggredimur narrare.

Eminebat è captivis ſenex prudentiâ gravitatéque perſpicuus, olim mercator, ſed quòd nuper in piratarum poteſtatem cum omnibus fortunis venerat, jam longè à veteri vultu alienus: is hæc talia memorabat. Tribus, inquit, abhinc annis inſtitores duo onerariam unam conſcenderamus, illum magni ovium greges, me ſomnus & ſarcinæ ſequebantur. Et navim ſic eramus partiti, ut puppis pecuario cum grege, cederet, ego in prorâ, cum ſarcinarum impedimentis tenerem. Ibi de viâ feſſus componere me interim atq; in puppim reſpectans, cœpi obdormiſcere. Ex adverſo aries eximii corporis fera in proram ſpectabat, qui uti me obluctantem ſomno & cervice pronâ nutantem vidit, aliquamdiu ceu ignavum contempſit. Pòſt autem ubi duello ſe peti credidit, ad ſui ludibrium pertinere arbitratus, ni toties provocantem rebelli fronte retunderet, prodit, & vindice

14. *Aries & dormiẽs.*

cor-

cornu in caput meum incurrit. Ego mirè perturbatus, & ſomni vertiginíſque plenus dum mecū reputo, quis tam humanè mihi talitrum illiſerit, aut poppiſmum obtruſerit, arietem video jam alteros congreſſus minitantem. Hîc non cunctatus petitionem exeo, novúſque Ajax in arietem invado, ſummi velleris lanam comprehendo, hoſtem è navigio exturbo, violentérque in fluctus ſpargo. Reliquæ oves miratæ patremfamilias præcipitem iiſſe, ac velut in idem diſcrimen vocatæ, contendunt aliæ ſuper alias exilire. Neque vis, neque opera gentis pertinaciam inhibere potuit. Ita puncto temporis factum, ut & navim exoneraret aries, & naufragio ſtolidiſſimum pecus interiret. Fabulam riſus excepit, & alia fabula riſum.

15. *Monachi & Prædicātis metamorphoſis.* Siquidem vectorum unus, ſe olim longè jucundiſſimum ajebat errorem vidiſſe, cùm hiemante cœlo, calvum Stygis rabulam penitiſſimè canum rabies laceraret. Lambertus enim homo cætera haud abſurdus, & ſacra in familia Therapentes, cùm iter ſolus faceret, nocte jam imminente, cæpit de hoſpitio cogitare. Nuſquā erat in viciniâ, niſi malè ſartum ſtabulum, idque nullo

neque

neq; vino, neq; eſculento lautum. Caſeus duntaxat & in humili corte gallina ſuperabat, nondum ad Licinii cognomen adſcita. Huc iit homo nocte coactus, pactúſque de gallinâ & lectulo, cœnam jubet apparari. Vix dum jugulaverant feram, ignibúſque implumem matrem admoverant, & ecce tibi alius advenit barbitio honeſtus, ut videbatur, pectus illi hiſpidum, oculi torui, frons contemptrix, ſupercilium vaſtum. Ipſe equo ſtrigoſo vectus, bulgam ab ephippio, telúmque & æreum tubum ſuſpenderat, militem crederes profugum, aut troſſulum prædonum. Sed caper is erat è Calvi harâ, & garrulus Orci præco. Hic talis turbidè fores cædere, intróq; admitti cupiebat. Stabularius jubet hominem recedere, niſi caſeo velit panéq; famem pellere; aliam annonam in promptu nullam, cortis reliquias, & cadurci tegetem ex pacto dudum alteri ceſſiſſe. Si Cynicus tamen es, inquit, & in aſſere conſueviſti cubare fontanámq; ſitire, *aude hoſpes cõtemnere opes*, & ſuccede. Graviter id hircus ferre, diúque ſuper gallinâ vindicãdâ contendere; ſed caupo perſtare, & Cœnobitam eſſe perſiſtere, cui eſculentum id addi-

addixiſſet. Tum vero furere alter, & mille convitiis Lambertum onerare. Paupérne ſtomachus dape tam nobili farciretur? ſe magni Principis tubam vili eſculento, & caſei quiſquiliis victitare, dum alter in gallinâ helluaretur? Noviſſimè tamen, ubi ſe nihil ſenſit proficere, tenebríſque ac nocte vias impediente, coactus accepit conditionem, ac manſit. Equo ſubinde in ſtabulum inducto, dum ipſe ad caſei quadram accumbit, Lamberto gallina apponitur. Eâ probè ſaginatus, nidore compotitorem jubet eſſe contentum. In quem ut propiùs aſpexit, Marcum eſſe agnoſcit, eum ipſum, quem olim in Cœnobio habuerat contubernalem, pòſt deſertorẽ, ac demum nefariæ Hæreſeos præconem, dignum cœnâ, quã cum Cerbero voraret. Ringebatur interim Marcus, & ſtomachum, quem implere nequiit, totum in execrationes evomebat. Hîc omnibus juxta habitis Lambertus diſſimulare, & cænare perrexit: dum demum paſtus monſtrato in lectulo acquievit. Sequitur haud multò poſt alter, fame vigiliíſque ſatur, vidétque lectum jam omnem à competitore obſideri, ſe denuo repulſam ferre. Novis proin' deteſta-

tioni-

tionibus victorem inceſſit, & averſatus ferale conſortium inter minas & maledicta humi ſe abjicit, ſomnúmque mille devotionibus invitat. Sed frigore nocturno uſtulatus brevi reſipiſcit, quémque ſocium aſpernatus antè repudiârat, ad ejus ſe latus clanculo applicat, cavens anxiè, ne hirtâ illius interulâ fricaretur. Ibi cùm omnes iterum Orci legiones precariò in ſocium armaſſet, fatigatus denique obdormivit. Poſtea tamen, quàm hæc tonitrua ſe fregêre, Lambertus, qui ſomni imagine tectus, dicta factáq; omnia ſubnotârat, quemadmodum puniat linguæ inſolentiam, deliberat. Ac multis diu penſitatis conſtituit, hoc ingenio Nebulonem vindicare. Poſt tertiam noctis vigiliam, quàm occultiſſimè poteſt, ſurgit, veſtibúſque permutatis, in rabulam ſe conformat: ſuum illi amictum pilis ſetíſque horridum relinquit; ipſe alieno ornatu ſuperbus raptâ ducentorum fermè Philippæorum crumenâ & telo accinctus egreditur. Jubet equum adduci, conſcendit, ſpoliáque opima nactus, nihil ſuſpicante hoſpite, diſcedit. At Marcus longa inertiâ defunctus, ut ſomni veternum aliquando diſcuſſit, cæpit

Cœ-

Cœnobitam ſuum in lectulo quærere; eóque nuſquam invento, gratulari ſibi primùm, ut qui ſe crederet votis damnatum, quibus illum Inferis devoviſſet. Dein' ut veſtium metamorphoſin aſpexit, palliúmque & peram, & pecuniam & omnia defieri, atque eorum vicem craſſiſſimæ telæ endromidem & ſolocem veriùs, quàm veſtem relinqui, vertigine perturbatus inſanè conclamavit. Nemo fuit omnium, qui ad porcum ſic grunnientem non accurreret; quibus percunctantibus quid clamoris eſſet? ille veſtes ſuas requirere, & pecuniam ſuam repoſcere, & profugum competitorem ultimis injuriis lacerare. Illi hominem inſanire rati, qui ſe ipſe quæreret, veſtes illi juxta oſtendunt, conſurgere jubent, gallinæ pretium exigunt. Ad quæ omnia ferocior ille, alium ſe vociferatur, quàm opinarentur: impoſtorem auffugiſſe, rem ſibi & opes omnes abſtuliſſe. Verùm hæc talia quàm impotenter clamabat, tam impudenter fingere credebant, ut factum pridie nomen eo commento expediret. Igitur, ne diu vos morer, præco malè paſtus & hoſpitatus, factâ pecuniæ, veſtis, equi jacturâ, cogitur pro

galli-

gallinâ inſuper, quam alter comederat, ſolvere: ac, ni mallet ſummâ hieme nudus recedere, eâ tunicâ operiri, cujus pædorem, ſqualorémque tot funeſtis apprecationibus damnârat. Enimverò erat id jucundi ſpectaculi argumentum, videre quàm torvus villoſum amictum aſpiceret, quàm ægrè attingeret, quàm difficulter indueret? Jam ſordido centone corpus, jam ſetoſo cingulo umbilicus, jam paupere cucullo capillus tegebatur, reſtabátque, uti pedes ligneo ſandalio includerentur. Tum verò

Avertitq; oculos, lacrimaq; per ora cadentes
Cyniphias texêre genas timuitq; videri.

Et nempe hæc ipſa erat toga, qua olim abjecta Sacramentum profugus ruperat; cùm ab eo ornatu in Stygii præconis ſchema deſertor migravit: nunc jocante fortunâ ad eandem redactus, ut omnium oculis ſubduceretur, laborabat. Itaque ante lucem transformatus rabula diſceſſit. Quacunque ibat, Germanus S. Franciſci nepos creditus, ne dignoſceretur, vultum nunc omnem cucullo immergebat, nunc ne cui oc-

cur-

curreret, per avia deviáq; vagatus ſuam ipſemet fortunam fugiebat. Sed commodùm id temporis Provinciæ Imperator cum grandi canum acie in ſilvis erat, bellum apris feríſque facturus; & ipſius eâdem perfidiâ imbutus, hunc, quē dixi, deſertorem domi pro oratore habebat, Cœnobitas & nominis Romani Myſtas mirè exoſus. Hîc gaviſus ſuum ſe Principem inveniſſe Marcus, dum nihil jam timet, videt repentè familiam omnem accurrere, & omiſſis feris certatim in ſe ruere. Gratulabundos primùm putabat; ſed poſtquam & canum latratum audiit, & moloſſorū rictus vidit, & venatorum impetum ſenſit, tum animūs illi compaveſcere, & quid ageretur videre. Quare occupat eminus clamare:

Actæon ego ſum, Dominum cognoſcite veſtrum.

At familia canéſque ad Domini mores facti, in Monachum velut monſtrū pergere; alii alios hortari, optimum venatum credere, ſi bipedem feram confeciſſent. Nec diutius dilata res fuiſſet, nî princeps tempore cognitum Præconem à canum rabie defendiſſet. Ibi ut ex metu rabula reſpiravit, cœpit plorans ille inter omnium riſus & cachin-

nos ſuum infortunium recenſere. Lambertus quoque in Cœnobium equo defectus, unde priùs pedes exierat, quàm fortiter adverſus hoſtem fecerit, narrat; atq; equo & nummis potitus ad Marcum in hanc ſententiam reſcribit. Palàm eſſe quibus ille non ſolùm nuper convitiis & minis ſævierit, ſed quo etiam furto, latrocinio, ſacrilegio Cœnobia duo pridem expilârit. Ob eam rem pignus ſe ab eo cepiſſe tantiſper, dum Cœnobiis, è quibus ille profugiſſet, quæque depeculatus eſſet, ſatisdaretur. Marcus interea quærit prædes, quos ſi invenerit, ait ſe res repetiturum.

Parabam hîc ego rem adhuc longè ſtultiorem ſubjicere, ſed conſilium 16.
globus apparens prædonum diſcuſſit; qui procul jam viſi cum prædâ redibant, turbáque inermi virginum juvenúmque præ ſe actâ ad navem properabant. Quare alter alterum hortati, ut mactè virtute eſſent, illos expectamus. At ii in littore geſtientes, dum injicere flentibus catenas ſecuri incipiunt, quid ponè fieret ignari, à nobis invaduntur, brevíque tempore ſexdecim latrones jugulantur. Quorum capitibus ex more præciſis, arma captivis tradimus, in quibus

bus fortiſſimi adoleſcentes octo, tres ſenes, totidem virgines numerabantur. Prædam auri argentíq; in navim imponimus, captos libertati confirmamus. Jámq; decreſcente Piratarum manu, & noſtra acie identidem auctiore, in alteram velitationem erigimur. Neq; enim longo intervallo altera ſe turma oſtendit, quæ iisdem inſidiis petita confectáque univerſa occubuit. Inde tertii, inde quarti, inde alii ex aliis redière, neque ulli fraudem priùs ſensère, quàm ferrum recepêre. Centum inde viginti jam onerata liburnica captivíſq; tribus & ſexaginta impoſitis, viſum eſt ultimas prædonum copias non laceſſere, ne ſecundis præliis elatos aliquando eventus dèſereret. Accedebat, quòd ſocii in cædendo fatigati, tum vulneribus aliquot ſaucii tandem receptui canendum parabant, quibus nos gratificati ſolvimus, cymbámq; minorem remulco trahimus, ne reliquis aliquid prædonibus ad fugam relinqueremus. Ecce autem tres hoſtium turmas uno eodem tempore diverſis è locis accurſantes obtuemur, dum paullulùm à litore remoti nos, extra teli tamẽ jactum, ſubſiſtimus. Qui ubi inſperato nullam neq; navim, neque

neque opem invenerunt, nóſque eminus inſultantes tot ſociorum capita præferentes viderunt,

Clamorem immenſum tollunt, quo pontus & alta
Intremuêre undæ.

At decem continuò in furorem verſi ipſi ſe præcipitarunt, nandóque, ut nos conſequerentur, contenderunt; quos tamen omnes fluctibus hauſtos priùs cum riſu vidimus, quàm ad triremem adnataſſent. Cæteri fremere fureréque, & per littoris ſabulum ejulantes diſcurrere, neque jam prædæ retinendæ, ſed mortis vitandæ ſolliciti, ſe in cavernas abſtrudere, aviáque, & invia petere. Verùm eos deinde in lucē protractos provincia quæſitis ſupplieiis laceravit. Interim nos, quinto pòſt die, ad Imperatorem reverſi rerum geſtarum ſeriem explicamus, prædámque, & reſecta prædonum capita exhibemus. Quos ille cùm planè amiſſos crediſſet, nunc autem tot facinoribus perpetratis inſperatò rediiſſe cerneret, præmiis me fratrémque militaribus donat, prædámq; inter nos partiri jubet. Auro argentóq; nos contenti, captivis veſtes, remigibus arma donamus.

Erat

17. Erat inter remiges pulcherrimus adoleſcens, qui & fortiſſimè pugnârat, & prudentiſſimè dixerat, quem ſuſpicabar, loco non humili natum. Hunc igitur ut ſigillatim Imperatori laudavi, vocat Imp. &, cum Utopium eſſe in primis nobilem didiciſſet, facit ei copiam de prædâ, ſi quid vellet, capiendi. Petit Virginem è captivis unam, hanc ipſam quam quærimus Druſillam, tuam conſobrinam; cui ſi dotem Imp. addere velit, aliam poſtulare nullam, quàm duos noſtræ Liburnicæ malos. Ait Imp. totam imò, inquit, Liburnicam. Simul Virgo juveni nupta, navíque impoſita in Utopiam devehitur. Mihi miranti, cur pauperrimâ prædâ contentus, duos tantummodo malos petiiſſet? Si me, inquit, comitaberis, in patria oſtendam, téq; hujus conſilii & opum mearum conſortem faciam. Accipio conditionem, & ſequor.

18. Ut huc locorum devenimus, jubet adoleſcens, duos, quos dixi malos diffindi; Et ecce portentum ingens! excorticati mali perforatíque ambo, alterius medulla argentea, alterius aurea pura puta. Hanc, inquit medullam quæſii; nam his oſſibus ſciebam ex rapto piratarum auro infuſam. Inde opes illius

illius adoleſcentis fuêre ingentes: quarum tamen omnium poſtea, cùm in febri deceſſiſſet, hæredem ſibi uxorem, id eſt, hanc tuam conſobrinam reliquit.

Hæc Damocles intentis omnibus unus omnia narravit: Mihi ſoli annus interim videbatur, dum ſe ad portum prolixa garrulitas appelleret. Ego ubi 19. *Prolixa garrulitatis moleſtia.*

Conticuit tandem, factôque hîc fine quievit;

Næ tu in tempore dixiſti, inquam; jam jam enim vertigine mecum omnia circumagi, & egomet metuere cœpi, ne tu primus artifex motum perpetuum inveniſſes, tuæque orationi, finem facere non poſſes. Ego, ut ex me confitear, neque cognatam reperturum, neque ab inſtitutâ navigatione jam in patriam rediturum ſperabam, ita me ipſe amiſeram. Nunc quando te video mecum in viam rediiſſe, hanc tibi phialam plenam Campani liquoris propino. Simul ebibo ingentem pateram, & Damocli deinceps hauriendam trado.

Ita me diluiſſe fabulæ moleſtiam ratus, omnem penè ſapientiam extinxi. Nam ab eo hauſtu caligo oculos, genua languor, ſenſum reliquum neſcio quæ ægri- 20. *Ebrius officiosè cubitum ducitur.*

ægritudo ſopivit. Ebrietatem egomet interpretor, cui aut levandæ aut diſſimulandæ accubitu aſſurgo, lectúmque me velle oſtendo. Vidiſſetis hîc mirabile familiæ ſtudium; alios cum facibus adverſos ire, alios mihi pro ſcipionibus eſſe: hos meam vicem anxios, illos de cubiculo lectóque ſollicitos perturbari. Druſilla ipſa, ut me ſoletur, ſarcinas omnes jubet introferri, & auream illam pateram, reliquúmque menſæ inſtrumentum, argentum omne donari, & juxta me in cubiculo deſtitui. Inde ſic à me diſcedere, vel poſterâ die humaniùs reviſura. Me verò obſtupefecit inſolens cognatæ humanitas, tacitéque mecum & cœnæ lautitiam, & aurei doni pretium, & reliqui animi ſtudium reputanti videbantur ii demum homines digni, quos meliori luto quondam finxiſſe Pometheus dicerentur. Nos verò Vulgus, & veluti fæx generis humani, quid niſi ex ultimæ notæ argillâ conformati? Talia cogitanti tres pueri officioſo certamine alius calceos ſolvere, alius aliúſo; thoracem, & torquem, & reliquam veſtem exuere, pulchroque ordine in ſcamnis omnia collocare, poſtremò, lucernâ mihi relictâ, è cubiculo abire.

Date mihi hanc veniam, ut cætera paullò Latiniùs, quàm ſoleo, rudiúſque deſcribam; ita tamen, ut nullum audiat ſibi Honeſtas convitium fieri, ſed neſcio tamen, quis alterum ſenſum vulnerârit. Circumſpiciebam, ſi quid eſſet, in cubiculo cætera inſtructiſſimo, ubi aquam peterem. Aliquamdiu circumiens oſtiolum noviſſimè invenio, aperio, video ſellæ Patroclianæ monumentum, locum arcanum, ſed quærenti omnino opportunum. Ingredior lætus, etiam demum adverſus ventris injurias ſecurus. Hîc enim verò miſerum me & longâ felicitate incautum ſordidiſſima calamitas fefellit. Nam paullùm à limine progreſſus ad aſſeris fallacis inſidias devenio; quem ſimul ut inſtiti, ſentio miſer fundamenta labari, &, ſolutâ machinâ, crepare trabes, titubare pedes, ruere aſſerem, mecúmque in ſpurciſſimæ ſentinæ cloacam devolvi. Conclamatum de vitâ jam rebar, & profectò fuiſſet, ſi in caput iiſſem, nunc, quia rectiſſimè pedibus exſtiti, ad poplites uſque nec ultra, infame cænum pertinuit; pædor autem & graveolens nautea ſtantem penè dejecit, & minimò minùs examinavit. Neſciebam primò ubi lo-

21. *Cloacæ dolus.*

D 2 corum

corum eſſem; nam ſpiſſiſſimæ circùm tenebræ erant: ſed non potui diu neſcire: nares enim indicâtunt, me certè in redolenti violario non eſſe. Cœpi ergo in ipsâ miſeriâ ridiculus mihi fieri: & fortaſſe his balneis lavantur Utopii, cùm cœnant? Etſi profectò οὐ ψυχρὸν ἐϛι τόδε, ut Jugurtha dixit: ἀλλ᾽ ἀκάθαρτον βαλανεῖον. Adde, quòd athleticam non didici, & tamen hîc ungor? Quòd ſi fortè luctandum eſt, tamen ceroma jam habeo, benéque lutatus in arenam prodibo. At quomodo tandem prodibo ſepultus in hâc Libitinâ? computreo, niſi opem familiæ imploro. Rurſus, id ſi faxo, vereor ne conſobrina caſu meo territa ſeipſam amittat. Nam quo animo feret, ut in hâc lacunâ pervigilem, quæ non tulit, ut in tabernâ dormirem? Perſuadet tamen neceſſitas, ut clamem: ſed vox mea neſcio quem adverterit, certè neminem movit. Itaque converto me aliò, & modicum hiatum parietis video, qui in viam ſpectabat, quanquam ad ejus altitudinem pervadere ſine ſcalis nequibam. Tandem in fortiſſimo naufragio tabulam corripio, aſſerémque illum, qui mecum decide-

rat, parieti admoveo; ſed per eum *ſæpe* relapſus noviſſimè enitor: atque ita unctus luctator per foraminis anguſtias ægrè elabor. Poſtquam in publico ſteti, luna pernox elegantem ſanè mihi imaginem monſtravit. Nam ibi me contemplatus, video coloribus deformatum undique, etſi non tamen Appellæis: & ſi, inquiebam, in ſpeculo jam relucerem, aut naſutus certè ſutor me examinaret, opinor naſum ejus aliquid ſupra crepidas reperturum, quod improbaret;

Hem qualis facies, & quali digna tabella!

Secundùm hæc nihil reſtare calamitatis autumabam; ſed omnibus periculis defunctum, continuò ad veterem fortunam rediturum. Igitur circumeo paullùm, incipio domus januam cædere. Diu non audior, quippe riſus inter & cachinnos neſcio quid ii triumphabant. Ego nihloſeciùs inſto & pulſo, & quidquid attrecto, fortuitis coloribus, januam, parietem, depingo. Demum feneſtra reſeratur, & dicaculus aliquis puer per ligneas maculas, quæ feneſtris prætexebantur, proſpicit, deſpicítque. 22. *Fæminei hoſpitii perfidia & rapina.*

Aperiri fores mihi jubeo, arceor, conſobrinam Dominam dico, increpor, infortunium caſúmque memoro, rideor. Poſtremò niſi ab ædibus faceſſerem, noctémque his clamoribus inquietare ceſſerem, mox malum habiturum. Quin certè res mihi, inquam, meas reddite. Quas, malùm, inquiunt tuas res? Ego veſtes, aurum, torquem, ſarcinas, equum. Illi delirare me, & cum his mendaciorum centonibus in furcam abire jubent. Ita valvæ obducuntur, ego excludor. Ac tum demum intellexi miſer, quibus fraudibus peterer; hinc illam repentinam cognationem, hinc inſolentem humanitatem proficiſci: utique non ad conſobrinæ domicilium, ſed ad peſtilentiæ ſpoliarium divertiſſe, datáque operâ in Patroclianum ergaſtulum deturbatum me fuiſſe, ubi interirem. Ideò non temperavi mihi, quin amariſſimè flerem, ſeriíſque lacrimis ſtultam credulitatem infelix damnarem.

23. *A Prædonibus & Puteo captus. liberatur.* Amiſsâ in hunc modum conſobrinâ, quam tanto meo malo inveneram, dum vix ſubuculâ tectus, eáque ſordidè & inſcitulè pictâ fraudulentis foribus apploro, prodit alicunde juvenum globus, & confeſtim in me omnes ruunt.

Ego

Ego vigiles nocturnos credere, &, qui effugerem, laborare: at ii reipsâ prædones erant, qui, quemadmodum ſepultum principem exhumarent, ſpoliáque legerent, quæritabant. Fortè horreum malè ſartum, aut neſcio quæ alia caſula ſuberat, qua curſum diverto, atque inter curruum impedimenta me abdo. Non fefellit eos fuga; quare miſerum inſequuntur, nec difficilè fuit, è latibulis eruere, quem graveolens odor etiam non quæſitum infamabat. Protractus in lunæ lucem primò poteram monſtrum videri, & aliqua Lamiarum poſteritas; ſed quando fœdiſſimo humore perfuſum, & olenti tectorio vidêre illitum, in cachinnis rogant, quâ fideliâ uſus ſit pictor meus? ego lacrimans, ſeriem cladis meæ enarro. Illi me bonam mentem habere jubent, promittúntque ſe ad alias opes ducturos. Verùm neceſſe priùs ut vivo me flumine abluerem. Et verò hîc inquiunt, puteus eſt, ad cujus uſque fundum ductilis urna pertinet, hâc te, ut graviſſimi fætoris obſidione abſolvaris, demittemus. Perſuaſit mihi non eorum oratio, ſed intolerabilis nautea, ut conditione acceptâ in urnam, inde in puteum deſcenderem, ac

novo more mergus fierem. Jam abſterſa erat omnis ſpurcities, & ego è frigidariâ tandem cellâ cupiebam exire: dato proin' ſigno, ut me de puteo educerent, illi repentè veros vigiles conſpicati metu omnes ad unum dilabuntur, méq; in balneo meo ſolum relinquunt. Hic ego ſudare in gelidiſſimis undis incipiebam, quòd metuerem, ne unquam inde liceret evadere. Sed enim ii quos dixi, vigiles, ubi prædonum diſſipatam aciem conſpexêre, feſſi ad eundem puteum ſubſtiterunt, ut hauſtâ frigidâ ſitim reſtinguerent: hauriunt, méque inſcii unâ cum urnâ attrahunt. Ibi complexus temerè haurientem dum collo manus injicio, & horrendum exclamo, ille neſcio quid monſtri opinatus terreri, & unà cum omnibus velutè peſtilentiâ refugere. Neque mihi diutiùs cunctandum placuit, quà obviam eſt, diffugio, & lectulum alicubi in porticu, & horreo, quæro.

24. *Sepulchro captus & liberatus:* Verùm ecce prædonum priorum aliqui jam è fugâ collecti mihi occurrunt, quibus cùm ego ſuper injuriâ expoſtularem, illi territos ſe plurimùm occurſu dicunt fugiſſe, ſed mox ad exſolvendam fidem fuiſſe reverſuros. Inde ad

de ad incepta ſecum pergere jubent, nolentem cogunt. Venitur ad tumulum ejus principis, quem pridie viderant humari. Locus erat ingenti marmore obſtructus, quod ægrè amoliti me diu repugnantem in hypogæum denique demittunt, annulóſq; & reliquam tumbæ opulentiam diripere, & ſibi continuò porrigi jubent. Quid facerem coactus? aut quid etiam erubeſco fateri? geſſi amens morem, minantibus mortẽ. Quanquam illi, ut mihi imponerent, neſcio quid juris ſe habere dixerant. Inde ego credulus omnem prædam exhauſi, digitóſque annulis, cadaver veſtibus, tumbam argenteis laminis exui. Poſt verò, quàm reliquum nihil erat, illi improviſò marmor iterum emoliuntur, méq; vivum cum nudo cadavere incluſum, inhumani veſpiliones ſepeliêrunt. Enimverò tum ego in anguſtiis eſſe, & de meipſo deſperare: nam quæ ſalutis ſpes ſupereſſe poterat ſepulto? an expectarem, dum ad mortuum amici redirent ac ſepulchrale ſaxũ ſubmoverent? an magis ipſe pervertere ſepulchrale ſaxum laborarem? conſului ungues meos, intendi nervos, exſerui lacertos, ſed priùs nimiũ ſuccubui, quàm cæpi.

Clamarem igitur, aut ſtrepitu homines accirem? primò quis accurrere, & non magis ab infero tumultu vellet refugere? Tum deinde fac, aliquos opem ferre, & tumulum recludere, nunquid dudum ſpoliatum cadaver viſuri non continuò me buſtuarium furem credent, & ceu ſacrilegum è ſepulchro quidem eximent, ſed rectà in patibulum agent? nempe, ſi rectè intelligo, moriẽdum eſt, ſed utrum in patibulo malim, an in tumulo, id mei arbitrii eſt. Hæc mecúm reputanti ſtrepitus ſupernè ad aures accidit, aliquorum inter ſe colloquentium: ii erant pars altera prædonum, qui proximâ in fugâ dilapſi ab ſociis aberrârant, tum autem è ſuis latibulis regreſſi, cùm nuſquam commilitones reperiſſent, ad prædam ipſi ſoli Libitinariam ferebantur, ignari ſe jam à ſociis præventos. Cùm audirem hæc inter ſe muſſantes, animum inſperatò recepi, atque uſus ingenio me ad eruptionem accinxi. Interea loci prægrande marmor illi denuò amoliuntur, ſcalíſq; demiſſis audacior unus in hypogæum deſcendit: ibi me ipſe erigo, injectíſq; manibus pedes invado. Ille hominum Cælitúmque fidem clamare, ac ſurſum versùm eniti, ego

ego nihilominus hærere; unâ aſcendere. Ille ſe à mortuo teneri & ad inferos rapi credens tantò magis vociferari, ſimul ſocios omnes terrore ſtultitiâque completos in effuſiſſimam fugã agere. ac demum ipſe per vim eluctatus, relictis omnibus, evadere, identidem reſpectans, an mortuus inſequeretur? Ita mihi nil tale ſperanti reditus in vitam patuit, poſtquam ter ſepultus & ſentinæ fœtore, & putei frigore, & tumuli putore toties fui exanimatus.

Quare, cùm plurimis documentis Utopios unâ nocte didiciſſem, porrò quidquid meis rebus fieret, fugiendum exiſtimavi, neq; ſæpius cum tot capitis periculis dimicandum. Et fortè jam diei crepuſculum appetebat, ideò portis urbis recluſis, ego ſeminudus exceſſi, hóſque ruſticos centones precariò inveni, quibus me amicirem: Nunc errore viarum, & penuria coactum Deus opinor propitius ad vos perduxit. Et vos, ſi paria experiri mecum, quàm metuere mavultis, eòdem, ſuadeo, divertatis. Talia, neque ego narrando, neq; Hugo & Philippus audiendo delaſſati eramus; quia tamen hora prandendi, & cibus menſæ illatus nunciabatur, fabulis pauſam dedimus. 25.

UTOPIÆ

DIDACI BEMARDINI.

LIBER TERTIVS.

1. *Prandiũ è meris herbis & plantis; ac nova fabula exordiũ.*

BOnum,idq; non plebejum pranſoribus ſuis prandium antepoſuerat Philippus, nam cum aceto atq; ſale prãſi ſumus. Epulæ erant tempori & loco convenientes; Omnes terra dederat: Omne genus lactucarum. Ibi ſeſſilis Laconica, criſpa Cappadox, capitata, leporina, ſilvatica; ibi ſiſer, intubus ſativus, capparis, phaſeolus; Smilax hortenſis, aſparagus, carduus altilis, cujus fructus ſeu caput oleo perfuſum nitebat, ibi quidquid in eſum viret, neque naſturciũ omittebatur, ut etiam Cyrus habuiſſet, quo delectaretur. His talibus, & vino atro bimo refrigerati, jamque multò, quàm ante meridiem, diſertiores, ad ſilvulæ umbram receſſimus. Ibi, cum Philippus telam juberet pertexere, quam me orſum, horis matutinis, dicebar, enim-

nim verò, inquiebam ego, te nunc tuam telam ordiri jubeo, tuæ jam ſunt partes; heri Hugo, hodie ego chorum duximus; ſupereſt, ut verbis quoque paſcas, quos in cibos tuos admiſiſti: ſic dicemus, te auribus noſtris ac palato delicias feciſſe. Hîc Philippus cæpit infantiam ſuam obtendere, ſed ita voce modeſtâ, ut videretur timere, ne excuſationem admitteremus. Mox enim patuit, quàm minimè huic infāti verba deeſſent. Nām Hugone quoque levi manus frontíſque nutu, ne tergiverſaretur, ſignificante, veteri more, QUOD BONUM, FAUSTUM, FOELIX, FORTUNATUMQ; præfatus, in hunc ferè modum, totum, quod reliquum erat dici, detinuit.

In Cimmerios fortè conceſſeram, locum, ut non neſcitis, tenebris infeſtum; & natale noctis hoſpitium. 2. *Patria & forma ebrii de urbis ſua Genio indiciū facientis.*

—quà nulla relucent
Sidera, Phœbeia quà nunquam ivêre quadrigæ,
Quà merus umbrarum timor eſt; noctémq; citata
Percurſant vacuo certatim murmure LAVRÆ.

Atque uti rem pleniſſimè teneatis: Annus erat Opimianus, & feſtæ temulentiæ menſis? Dies quem claſſico ſuo MORIA notaverat, horam diei, quia ſolarium deerat, cognoſcere non licuit. Cùm pro urbis (quæ ejus gentis princeps erat) mœnibus obviam vidi hominem, è cujus pedibus omne capitis ſtudium conjeciſſes. Vacillabant ii, vinóque fæculenti, de ordinibus crebrò excedebant. Humeri ſago veneto tegebantur. Sed capilli per intonſum verticem prolixè excreverant: & cæſaries, ubi ſol fuiſſet, pro umbrâ erat. Paganum ſcires & imæ plebeculæ tribulem: cui detecto etiam ore, perſonam Ebrietas faceret. Cæterùm languida cervix caput ægrè fulciebat; ut lectulum videretur humi aliquem, & pulvinum in cæno quærere: dignus qui ejuſce voti damnaretur.

3. *Alterum malè ſobriæ urbis præconium.*

Mirabar ego, ſi hæc gentis ſymbola eſſent, quæ advenis urbem eminus depingerent; inq; unâ imagine, quid intus fureretur, monſtrarent. At forſitan hic, inquiebam, ſolus inſaniit; Jamq; ceu degener civis ac urbis continentiâ proſcriptus, exilium ſuæ ebrietati quærit. Igitur paullulùm procedo, ac brevi ad oppi-

oppidi portas devenio. Madidus ibi me cuſtos invaſit; verbiſq; humentibus,

Τίς; πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοὶ πόλις; ἠδὲ τοκῆες;

Reſpondi, quæ viſum fuit. Sed ille cùm adverteret, mihi novum eſſe, quòd janitor græcè loqueretur; neſcis, inquit, adoleſcens, ubi gentium verſeris? Bonæ hîc artes in portarum excubiis locantur; neque ultra pomerium admittuntur. Nam in fori meditullium ſi quando penetravêre, ὀςρακισμῷ confeſtim eæ plectuntur. Etiam me honeſti amor olim tenuit; donec temerè huc ingreſſo, judices diem dixêre, quòd litteras didiciſſem. Quare in Areopago convictus, damnatúſque rriennium exulavi Tandem pœnâ ſolutum, juſsêre hîc in ſtatione eſſe, quòd artes meas dediſcerem, populíque moribus inſuêſſem. Inde ſextum jam annũ id laboro, quemadmodum bis interdiu ebrius fiam. In quâ ſchola tametſi nuper jam emerui; tamen, quòd Græcula mihi adhuc verba ebulliunt, nondum civitàtem accepi; malunt enim me bibendo, quàm loquen-

quendo Græcari. Roganti dein' mihi, quæ civium ergo ſtudia florerent? Laconicè reſpondit: Potatur, Eſtur, Luditur. In quâ trigâ nî aurigâri poſſem, ſuaſit Circo abſtinere. His enim tribus lucrum fieri; neque factionem aliam populo probari. Quin ſoli Temulentiæ precium ponimus, impoti, inquit, & abſtemii vectigales fiunt. Tu proin', ſi libros amaſti, vide quò eas. Jam enim

— celebres notiq; poëtæ
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos

inceperunt; poſtquam nullo carmine famem hîc potuerunt excantare.

4. *Larvati, temulẽtiq; inceſſus.* Hæc mihi ebrius excubitor memorabat. At ego, velut in peſtilentiam iturus, urbem ingredior: & oculis quaquaverſum intentis, loci faciem diligenter contemplor. Hîc repentè Lemurum ſe mihi undique ſpectra obtulêre: in his peregrini & ignoti primùm oris habitûſque monſtrum,

— nigri manus oſſea Mauri,
Cui tu per mediam nolis occurrere noctem,
Clivoſa veheris dum per monumenta Latina,

Egó-

Egómet continuò mecum.

Hem qualis facies, & quali digna tabella;

Quod video, in alterum orbem illatus, negotium cum INDIS habebo. Jam & color gentis, ſi nativus eſt, non placet: qui, ne quâ tenebræ deſint, ipſe ſibi noctem facit. Adhuc in Æthiopem ſpectabam, cùm alter alicunde quaſi æquilibrio ſe ſuſtentans, atque in utramq; partem periculosè nutãs prodit adoleſcens, plumantibus induviis, penníſque ponè appendulis, in volucrem factus: ICARUS omninò; niſi quòd hic vinum ructabat, quum ſcirem ICARUM aquam bibiſſe. Et profectò, inquam, iſthic mihi homo MERGUS eſt; ac ſæpius in LIBERI ſolet lacu plaudere, quàm

— per liquidum ſublimibus aëra pennis
Currere, & etherio corpus librare volatu.

at is, ægrè in pedibus conſiſtens, ut ad me aſpexit; manu cæpit innuere, & meã humeris ſuis opem rogare. Ego cum riſu; falleris, adoleſcens, qui de gente SCIPIONUM me credis. Aut ſi certè Bacchus tu es, & thyrſum quæris, non veni

ut ad-

ut adoptarer. Sic ille, neſcio quid, barbarum frendens, parietem obtuſis manuum digitis affectat;

Ebriáq; invento fulcit veſtigia muro.

5. *Dives ſparſio perſonatorum.* Nondum hic ex oculis abierat; & ingens barbitium prodit, quod alius faſtidiente manu identidem ſublevabat. Ipſe in phæcaſiis ambulans, terram ſuperbo imperio deſpiciebat. Sequuntur Satellites duo; quorum alteri per humeros Simius errare; alterius lævam noctua inſidere conſpiciebantur. Et nimirum hæc hujus eſt, inquiebam, Thraſonis familia: aut aucupium veſpertilionibus minatur, quibus hanc aquilam paſcat. Leniſſimè hæc mecum murmuraveram, cùm repentè, ceu inaudiſſet, adverſus ſubſtitit; & pediſſequos nutu objurgavit. Quibus in me confeſtim euntibus, jam ego vixiſſe me ratus, incuſabam ſtultitiam meam, qui temerè comites deſeruiſſem; neq; cladis meæ aut teſtes jam, aut vindices haberem. Sub hæc Satellites, excuſſiſſimâ uterq; manu, largam amygdalarum ſementē projiciunt; herúmque liberaliter ulti, progrediuntur. Ego precioſâ grandine inundatus, damnavi ſuſpicionem meam, quâ animum hominis ex degenere amictu

ctu præceps æſtimâram, cępíq; non jam Thraſonem, ſed Philoſophum de eo ludo credere, unde extitiſſe audieram illum, quem Magiſter ampliùs triennium coëgerat, non ferre ſolùm convitia, ſed etiam præmiis mercari. Nempe is deinde, cùm rude donatus cavillo prætereuntis peteretur, riſit, momóq; ſuo gratiam dixit, à quo gratuitas haberet injurias, quas Magiſter tanti vendidiſſet, cùm crederet, nihil à Philoſophiâ haberi præſtabiliùs, quàm quòd doceat, contumelias ęquo animo tolerare, quod ſanè ei eſt facillimum qui didicit; petulantiam linguarum præmiis etiam mercari. An fortaſſe, inquiebam, hic vino errans, laudari ſe inter heroas à me ratus, ſic ſupercilium ſuum vindicavit: Aut in his terris laus eſt ſtulteſcere, & glorioſum, præ ebrietate, inſanire? Hæc mecum ipſe locutus, collegi de terrâ, quod illi abjecerunt.

Atqui ego dum 6.

— *implere ſinus mellitâ gaudeo prædâ,* *Larvis tecti amici.*

Et de divite cernuus rapinâ

Tollo Caiólos lucunculóſq;:

interim pedum me ſtrepitus advertit. Reſpicio; duas video liberali inceſſu juvenes,

venes; Quos ego procul ANNIUM meum LUCIUMq; credens (nam eò mihi fortè condixerant,) & ô quis vos Deus, exclamo, huc mihi tam opportunè adeſſe, & in partem aſſis mei juſſit venire?

Quicquid nobile Ponticis nucetis,
Fœcunda cadit aut jugis Idumæ,
Id totum ſubitus profundit EVRVS.

Simul in amplexus ibam, meíque ſecurus, timori de cætero inſultabam. Verùm

— Extemplo (neque enim reſponſa dabantur
Fida ſatis) ſenſi medias delapſus in umbras.
Obſtupui; retrôq; pedem cum voce repreſſi.

Ac rurſum periculi manifeſtus, clamorem aggredior tollere. At duorum alter, digito indice in labra ſubrecto, ſilentium popoſcit: proximus minanti. SIGALIONEM crederes, & pervigilium ANGERONIAE voviſſe. Inaudit mihi peregrinum imperium; &, Ergóne, inquam, capitalis ero, quod vocem unam in liberâ Repub. emiſi? an verò ingenuus non ſum? aut in publico nihil eſt, quo

quo ſe hoſpitis innocentia tueatur? Et quantulum eſt, ſuperi, ignotos ſalutaſſe? Oculorum omnis hic error fuit; animus, etiam in dubios, amicus. Quippe vos ego

— ſocia agmina credens,
Inſcius, atque ultro verbis affabar amicis.

Si tamen hîc ego me fefelli, & hoſtes vos veriùs reperi, quàm cives; nondum me omnem deſerui,

Ferte gradum contrà, campoq; erumpite aperto;
Solus in arma voco. —

& cum dictis, reddo capulo manum; palliòque in vallum aggerato, & circa collum intorto, me armo, & vim expecto.

7. *Teſſerarum ludus.*

Sed quòd hoſtium neuter cum telo erat, neſciebam quibus tandem armis uterentur! Donec alter per larvæ numen allubeſcens, de ſinu niveum teſſerarum ebur educit. Id poſtquam manu vibrante ſemel iterúmque concrepuit, dejecit ſe in dextrum poplitem, lævo ad tibicinem erecto. Adverti hîc aleam mihi jaciendam eſſe. Ergo haud diu moratus, me in eundem prælîantis ſtatum com-

compono. Jamq; in pulverem pugnam avidior, toto corpore inhiabam: Cùm ille de virgine chartâ depromit tunicu-lam; quâ tamen quid tegeretur, neſcie-bam. Hanc ut humi juxtim deſtituit, & inani manuum pruritu aliquamdiu elu-ſit, cœpit in ſoli æquore, velut in alveo-lo, teſſeras projicere. In connivis oculis arbitranti, quaternio primùm conſtitit. Quo haud magnopere lætus, iterum in-crepuit; jactúq; altero Senionem vidit. Inde me erectior intuens, teſſeras repe-tit; votóque noviſſimo beatus, VENE-REM ludit. Oppallui

> — *Vt nudis preſſit qui calcibus an-*
> *guem,*
> *Aut LVGDVNENSEM Rhetor*
> *dicturus ad aram.*

Aggredior tamen & meam fortunam tentare. Teſſeras ſimul in manus, ſimul infortunium ſumo. Excutio rudibus di-gitis ignotum telum; & inſperatò Senio-nem video. Rediit hîc velut ab exilio animus: & tamen deſperabam victo-riam; lætus, ſi vel hieram faceremus. Rurſus aliquamdiu velitatus, jam alte-ro jactu, jã tertio me experiebar; dumq; in ſpe Cous, & in metu CHIUS mihi eſt, ecce

Sem-

Semper damnoſi ſubſiliêre CANES.
Complosêre manus illi, victricia ſigna.
At ego victus amiſi ſanguinem, & quaſi turbulento ſomnio perfuſus, diu vocem collegi, opémque in capillis, nullo conſilio, quæſii: identidem, retorto ad terram oculo, ſollicitus, ecquod mihi damnum mea CANICULA peperiſſet. Tandem togæ papyraceæ velum timidè dimoveo, annulúmq; aureum cum ingenti gemmâ conſpicio. Exilui; juguló que detecto, aliquando, inquam, totum me fortuna viciſti. Et neque marſupium in promptu erat; quippe ſociis omnem pecuniam commendaveram: neq; prædam hoſpes reperiebam. Unus erat in digito annulus, quo ſignabam; nihil tamen ille ad illum, nam hic tenuior pala, & gemmula longè ignobilior. Denique, ut infelicior eſſem, nuſquam alium ſciebam, à quo verſuram ſperarem. Igitur viſum eſt optimum factu, ſi verum dicerem, illóſque duos mei miſerabiles facerem.

Cæpi perorare, & in unam cauſam, omnes Rhetorum colores conſumere. Parcerent homini peregrino; & hanc unius temeritatis mihi veniam darent. Satis eos habere, quòd ab illo con- 8. *Anxietas è ludo orta.*

feſſio-

ſeſſionem extorſiſſent, qui victum ſe agnoſceret. Domo ſcirent patriáque Germanum eſſe, & nativo magis candori aſſuetum, quàm lucri artibus initiatum.

Non mea magnanimo depugnat teſſera talo,
Senio nec noſtrum cum CANE quaſſat ebur.
Sed mihi charta nuces, ſed habet mihi chartæ fritillos,
Alea nec damnum, nec facit illa lucrum.

Dicebam hæc talia, quæ tempus monebat: & diſertiorem pericula fecerant. Sed ſtetêre ad preces illi & muti & ſurdi. Urgere alterni, minari; & verſo pollice precium exigere. Ergo ad victorem converſus;

——Equidem merui; nec deprecor, inquam,
Vtere ſorte tuâ. Sed enim te ſi qua parentum
Tangere cura poteſt, oro. ——

Unicus ego illis, & inſciis elapſus, in hoc infortunium properavi. Nunc, ne unius clade, omnis in ruinam familia trahatur.

Redde meis. Viciſti; & victum tendere palmas
Sidera viderunt —

Ad hæc remiſſiùs ille agere, neq; tam ferox inſtare. 9 *Perſonati illuſores.*

Et iam iamq; magis cunctantem flectere ſermo
Caperat. —

Cùm recens lemurum globus, omnem denuo miſericordiam diſcuſſit. Plerique alis unguibúſque infeſti, circumfunduntur. Harpyias diceres in me, velut in noctuam, involare. Hortati ſeſe, unà omnes vim afferunt; prædámque ſimplicem per ingens ludibrium abripiunt. Ego me ad Cyclopis antrum raptari exiſtimans? Civium fidem, legémque Corneliam de Vi, invocare cogitabam. Sed qui nuperè Aiacem me jactaveram, nunc de tam magnâ audaciâ, ne clamorem quidem captivus retinebam. Quanquam cur etiam clamarem? Nempè ut plures larvarum umbras exciterem: néque in illuſtrius pudoris theatrum conjicerem? Vnum hîc ſubibat; ſed optare veriùs, quàm ſperare: ut in meos ſodales propitius me Deus inferret. Et, quid, inquiebam, ſi me nuſquam expectato jam diſceſsêre? Quid ſi etiam

ipſi paribus ærumnis circumventi, antè eſſe miſeri cœperunt, quàm de me timerent? aut ſi utique prædones iſti in ergaſtulum me daturi ſunt; hoſpitíque inter piſtrinum lora, lautiáque præbituri? Saltem ad ultima detruſo, hoc concederent, ut familiaribus priùs oſculum ferrem: aut funeri meo lacrimas certè præpararem. Nunc tu, ô,

Patria, ab VTOPIIS tam diſſita ſedibus, inquam,
Túq; oculis nunquam terra videnda meis:
Vóſq; relinquendi, quos fruſtra quæro, ſodales,
Felices, cladi ſolvite iuſta meæ.

Inter hæc deſperantis lamenta, ebullit ductori meo riſus, ut apparebat, invito: Quem ego,

—*ſi mens non læva fuiſſet,*

è bruto etiam murmure agnoſcere potueram. Sed illi compreſſo rurſum indicio nihilo tamen ſeciùs pergunt, quò inſtiterunt; ac tandem per longam Vrbis porticum errantes, pro ædium ignotarũ foribus ſubſiſtimus. Ergo hunc nimirum fore carceris mei ſcopulum; & hoc

hoc aulæ Orcinianæ veſtibulum arbitratus, ubi æternitatem infelix eſſem; QUIRITIUM fidem altis clamoribus imploro. Excitata inſolentibus querelis civitas, ruit omnis in feneſtras, & mille ſtatim facibus tenebras expugnat. Lætus ego, Vulcaniam omnē pro me arma capere, libertatem iterum ſperabam: cùm janitor quoque, tanquam ipſum ego ab oſtio vocaſſem, ſubditâ clavi peſſulos reducit, ſeráſque deſerat, ac erumpit. Laborant omnes intrò me rapere: & alii inter brachia cogere, alii à tergo urgere. Sed, quòd obnixis pedibus januam reluctabar; méque ingreſſurum præfidenter abnuebam: cæperunt ab humo attollere me; intróque ceu porcam mugientem pertraxêre. Confeſtim à tergo meo janua obditur, & fores oppeſſulantur: & ego piſtrini jam candidatus recluſis fortè oculis, ut ſcirem, quid me fieret, video hinc leonem in me incurrere; monſtrum horrendum, immane, ingens; à quo dum refugere contendo, video & duos mediâ ætate urſos adeſſe; qui deſinentem pallii laciniam mordicus jam vectabant. Hic ego mortuus, in circo mihi cum feris puguandum credidi. Igi-

tur, ah mei, inquam, hoſpites, parciùs ſævite: &, ſi in cædem omnes conjuraſtis, alium certè funeri tumulum permittite, Cerberíque hos veſtri rictus arcete. Nondum hæc omnia dixeram, cùm leo, ſiniſtram mihi negligentiùs cuſtoditam, ore hiante ludibundus merſit; quam reducturus ego, ſuperos omnes miſerabiliter inclamo. Eâ voce continuò reſilire feræ; quippe, quòd pòſt apparuit, cicures; mortales autem undique multi accurrere; méque ignota familia circumſiſtere. Atqui ego Letho vicinus, parabam in hâc rerum facie, verbis innocentiam meam defendere, ſed priùs lacrimis: hîc illi prædones mei, larvis repentè abjectis, nebulam ori prætexſam exeunt; & inſperatâ metamorphoſi ANNIus meus, Luciusq; fiunt.

10 *Sociorũ agnitio.* Mihi animus recenti gaudio confuſus.

Non aliter ſtupuit, quàm qui IOVIS ignibus ictus,
Vivit, at eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.
Vt tamen hanc animi nubem mora longa removit,
Atque iterum ſenſus convaluere mei.

in

in Lucii collum ambobus lacertis invado; & Teneon' ego te, inquam, ô Lvci? & téne video, mi Anni? vix hoc ego jam oculis meis, vix manibus credo. Sed profectò tempori adeſtis: qui, ſi aquam hanc mihi affundere diſtuliſſetis, ego impatiens mei, funus proximè fueram. Tum Annivs, rem, inquit, unam omnium ſtultiſſimam peccaſſes; ſi inter amiciſſimas manus, inanis te metus jugulaſſet: Méque ex Annio tuo Diomedem faceres; apud quem dicereris pro hoſpitio Macellum reperiſſe. Nunc tu meros hîc tibi amicos vides. Ego, planè, inquam, amicos; qui, ne qua mei pars effugeret, totum me tam officioſi diripiebatis. Quid niſi Orcum poteram, credere, cùm tot undique mihi larvas oſtenderetis? Conſulite audaciam veſtram? mentiar, niſi vos etiam ipſi metuiſtis. Riſerunt liberè omnes; & eventum ſibi gratulati, ſe quiſque ludi auctorem prædicârunt. Placuitque in lacrimas meas ingenioſum fuiſſe. Et nimirum vos, inquam itâ me territare? itâ crudelibus odiis in hoſpitem veſtrum illudere? Omnes me Utopii oderint, niſi talionem vobis. Simul deterſo jam metu, renidere inci-

pio. At illi,ut cachinnos aliquando de-
ſiêre; comiter me blandéque acceptum
diverſi conſolantur; perque atria in va-
ſtam atque elegantem aulam perducunt
(erant enim paternæ duorum ædes) &
veniam deprecati, narrant eò ſe omnia
feciſſe, quòd ſcirent inter nobiles, ali-
quot juvenes conveniſſe, id noctis præ-
dam capere; quam conſtituerint poſtri-
diè ludum atque jocum habere. Et oppi-
dò, inquit LUCIUS, metuebam, ne tu il-
lorum ludibria ſatiares; ac victima Suc-
CIDANEA in TEMULENTIAE Scenam
pertractus, riſum lactimis tuis faceres.
Scio enim quàm pertinacibus ſtudiis in-
ſaniæ ſuæ lirare UTOPII conſuêrint; ac
tum præſertim, quoties in advenam ſan-
guinem illati, nullo vindictæ metu co-
ërcentur. Ita, inquam, ne ab alio immo-
larer, ipſe tu jugulum mihi figere matu-
rabas. Et quanti referebat, quis tandem
aris me admoveret? aut graviùs etiam
ulli me hoſtes perdidiſſent, quàm veſtra
me humanitas vindicat?

11. Excepit LUCIUS, & joca narras,
inquit, mera; præ ut ſi illi te venato-
res rapuiſſent. Dies enim jam alter eſt,
cùm duos item adoleſcentes nacti, aſſi-
duis eos interim injuriis exercuerunt.
Quos

Quos etſi oris honeſtas, ac magnæ indolis color defendebat; tamen in ſuburbani nemoris umbrâ deerrantes, ex inſidiis excepêre; injectíſque manibus, nexu ſuos fecêre. Jam domi in vinculis habent, donec fallaciam commenti in propatulum eos educarent. Sed enim cedò, quas tu res agis, qui nullâ ne umbrâ quidem comitatus ad nos iiſti? Ingemui continuò, & infortunii memor, omitte has, inquam mihi lacrimas renovare. Nam duobus ego ſuaviſſimis comitibus inſperatò amiſſis, mémet jam ipſe non reperio.

Mirantibus cæteris, quis illos mihi caſus eripuiſſet: Cùm tridui, inquam, itinere ad ſilveſtria quædam teſqua perveniſſemus; jámque cœlo ſe luna præcipitaret, nos locorum obliti, fabuliſque temerè capti, à viâ divertimus. Eum dein' errorem correcturi, veſtigia fortè ferarum perſequimur: donec ad avia quæque & invia ducti; ſimul viam diémq; amiſimus. Hîc enimverò, dum per obſcura noctis progredimur, Ego in cæcam miſer voraginem delabor. Unà omnes conclamamus; & ſocii ruinâ me examinatum rati, pectora manibus plangunt. Sed mihi de

12. *In foveã lapſi vanum auxiliumq;*

Lemnio caſu, nî caput illiſum tumuiſſet, nihil doluerat. Nam ita ferè cecideram, ut me tamen pedibus exciperem. Cæterùm, fovea erat pede, haud minùs octodecim alta; undique præceps,& perpendiculo æquata; quam & ferarum inſidiis effoſſam facilè apparebat. Id ego tantum ſpacium emenſus, mirabar me adhuc vivere: incipióque velut è latomiis Socios vocare. Illi non ſegnes, vitam mihi gratulari, opémque ultimam alacres polliceri Sed quo tandem pacto miſerum attollerent, deliberabant. Comperiunt, rem utique funibus aut ſcalis agendam: à neutris inſtructi. Tum ego,quin hoc, inquam, ſtudetis; & crurum faſcias pro fune ſubmittitis; eáque me arte ſublevatis? Id verò per, inquiunt, libenter. Simul aggrediuntur poplites laxare, tæniáſque ſericas modo committere, quas mihi longo intervallo porrigerent. Complexus ego amiciſſimum funem; utrumque illi brachium inſero; jubeóque ſocios cum bono DEO fortunam tentare. Conantur ij naviter: méque jam decem circiter pedes evectum, remittente conſtantiâ rurſus deſtituunt. Stomachatus ego percontabar, ecquid inſani-

ſanirent ! Sed illi manus pondere victas excuſare, ambulante faſciâ uſtas dicere; velle,ubi ſe priùs armaſſent, ſarcinã denuò moliri. Ita chirothecis muniti, ad inſtitutum redeunt. Ego rurſum funambulus , in aëre ſuſpendor: Orcîque jam meditullium eluctatus, de cætero nil metuebam. Sed & ſocii validè nitebantur,ut perſeverarent.Ecce autem optimas ſpes invidia fortunæ illuſit ; funémque dimidiatum inopinatò abrupit.Continuò helcyarii mei humum ſupini affliguntur;& ego jam tertiùm præceps, volare dehinc non cupiebam : ſed ad aliud conſilium verſus , trabem mihi aliquam optare cœpi,in quâ fortè evaderem. Ea quòd nuſquam inveniebatur ; ſubit cogitare, ſi ſaxa & ceſpes comportarentur , fore, ut eo aggere Curtius tandem lacus expleri; ipséque cum increſcente ſolo poſſem aſſurgere; ac denique in planitiem eniti. Id conſilium ut ſociis aperui , feſtinant hâc illacque diſcurrere ; &, ſi quid nanciſci per tenebras licuit, id omne in foſſam devolvere. Quæ verò mihi res magnò ſtetit. Nam ut quidque ingerebatur, capiti plerumque incidit, pænéque vivum innoxia gleba ſepeliit, Igi-

tur veſpillones meos per omnia jura obteſtatus, ab his exequiis ceſſarent: audio procul cachinnos, & confuſi agminis clamorem; quem à paganis ſublatum credidi, feſtam alicubi noctem agitantibus. Neque enim dubitabam, quin pagus in viciniâ eſſet. Ad hæc, quòd ſublustris fieri nox incipiebat, venio in ſpem opis reperiendæ; ac ſociis meis perſuadeo, ut ſonum perſecuti, ad villam contendant; indidémque ſcalas apportent: nî malint in eo me ergaſtulo pernoctare. Qui aliquamdiu cunctati, tandem abiêre.

13. *Fovea capti ſolicitudo.* Interim dum meam fortè ſolitudinem adverto, & quàm procul humano præſidio ſim, conſidero; occurrunt animo mille metus: jamq; omnia quæ fieri poterant, ceu futura expectabam. Quid enim, ajebam, ſi quis & comites meos error fefellerit, ut jam ipſi quoque ſe amittant? aut ſi maximè ad pagum delati, opem invenerint? quomodo per hæc avia nemorum, per hæc opaca tenebrarum, huc denique redibunt? Si calculos bene poſui, noctem ego hanc ſolus hîc exigam. Et utinam noctē! Nam quid, ubi dies etiā illuxerit? an humilius hoc hujus carceris vallum interdiu fieri vide-

videbo? Jã & fames me diuturna, & ſitis utiq; longa cõficient. Forſitan & belluis peſtilens hæc ſilva eſt? aut latronũ injuriis nemus obſidetur? Et finge, caſu te aliquo evadere, atq; ab his inferis Herculem te exiſtere; jam nec hoſpitium peregrinus invenies, & pecuniam tibi omnẽ comites abſtulêre. His cogitationũ turbis colliſus, mémet flens ipſe miſerabar: dúmq; ita reduces ſocios van⁹ expecto, me nox interim concubia, & hanc dein intẽpeſta, & hanc iterũ nox media excepére. Sed novus ego Soſia nullã eâ nocte longiorẽ me vidiſſe cenſui: & poſtquàm in iis anguſtiis omnia circumſpexi, nihil reperi, quod fortuna reliquiſſet, quàm ſericam reſtim, quâ, ſi luberet, me ſuſpenderem.

Tandem oppidò feſsũ, quod in mœrore ſolet, altiſſim⁹ ſopor oppreſſit, luctúſque mei non ingratã oblivionẽ effudit. Hîc ſubibãt mille Morphei ſimulacra, & rebus mendaciſſimis me ludificabant. Quib, iñodicè delectatus animi pendebã, an ſomnianti ſe umbræ objicerent; an oculorũ ſibi fides cõſtaret? At placuit credere, vigilẽ eſſe. Jamq; adeò non capiebam felicitatẽ meam; cùm, ecce tibi 14. *Homo & Vrſus unà capti.*

Improviſa iterũ cœpit fortuna iocari.

 Nam

Nam ut me in angulum fortè abjecerã, animámq; ouantiùs ductabam, ſupernè moles in me delapſa, & ſomnum illicò diſcuſſit & ſpiritum mihi pæniſſimè excuſſit. Ego ceſpitem eſſe opinatus, dum turbidè reſpicio, urſum video, informem belluam. Tunc enimvero

—mihi pectora frigidus horror
Perculit, & raucis vox mortua faucibus haſit.

Quis enim jam, niſi ultimam cladem expectaret? aut ut crudum utiq; prædoni pabulum fieret? Ergo mecum, hoc, inquam, erat, quod ſolitudinem metuebam? at enim non timerem jam, ſi ſolus eſſem. Quanquam curâ certè hic cuſtos me liberavit; quâ verebar, ne longum fames negotium faceret. Remedium inveni: famem quippe non timebo jam, ſed domabo. Adhuc velut immotus jacueram: poſt verò quàm urſus ſe attollere, méq; explorabundus circuire, & utráque manu versare inſtitit; rupit ſilentium metus, cœpíque quantis maximis clamoribus ſuperos inclamare. Refugit confeſtim bellua, & ſi quâ erumperet, quæritabat:

Iámq;

Iamq; per erecti ſcandebat valla barathri
Vrſus, & ad media perrepſerat ardua foſſa.

cùm ſupinus in me fulminis inſtar relabitur. Iterúmque eâdem contentione enititur; iterúmq; præceps eodem rotatur. Ità decies eâ nocte in cœlum evaſurus, decies in terram præcipitatur,

Atq; meum decies grandi caput ariete pulſat.

Sentiebam tandem non magis timeri feram, quàm & timere: neque in carcere aliud molituram. Tum ego ex metu reſpiravi; & mæſtum ridens, quid faceret, inquam, irata; quando vel timida me toties proſtravit? Secundùm hæc, & urſus quieſcere jam incipiebat; ſive quòd fugam deſperaret; ſeu quòd caſus creber armos illi luxaverat. Et jacuit aliquamdiu uterque *hoſpes ab hoſpite tutus*: ut mihi in mentem venerit Androclis, ejus, quem Agellius fabulatur: niſi quod apud Leonem ille, ego ad urſum divertiſſem.

Interim multa meditanti, aurora ſe demum oſtendit; quæ noctem jam omnem exegerat, diémq; nuntiatura properabat. Simul incedentium fragor, & 15. *Captus foveâ educitur.*

 collo-

colloquentium murmur audiri; & ego lætus ſocios identidem vocare. Inde ſenſi ad me certatim accelerari. Decem erant omnino, agreſtis manipulus: quorum alius funes ſcaláſq; alius retia portabant: aliqui ſudibus, plerią; venabulis armati. Hi omnes unius imperium ſpectabant, &, quòd pòſt comperi, eas feris inſidias collocarant. Ubi ad foveam eſt ventum, avidi circumſiſtunt, vident juxta me, innoxiam feram accumbere. Attoniti, moxq; in riſum effuſi, quid me factum ſit, cõtantur? Ego, id potiùs quærendum, ajo, qui me ſublevent: tũ enim otioſis narraturum. Quare demittunt alacriter funem, appenſo altrinſecus tigillo: inſtántq; operi omnes, ac celeriter me ab ergaſtulo evehunt. Sed ut medium attigi, conſenſu obtorpuêre! minati non ultra iturum, ni precium pollicerer. Malam rem! quod inquam, vobis precium? Nam planum eſt, præmium vos mihi debere, qui pernox ad prædam hanc aſſederim, ursúmque, ne quâ effugeret, gratis cuſtodierim. At ſi nullam huic vos officio gratiam ſolvitis, laborate, ut veſtro debeamus. Pactus deinde ſeſtertios aliquot, integrè ex lacu emerſi. Equidem ubi in tuto conſiſtere

me

me ſenſi, circumſpicio; & eccur adducere ſocios omiſerint, requiro? illi negare uſquam ullos vidiſſe, ſed animi ſui ſponte ſe adeſſe dicere, ſpectatum, ſiqua fera in laqueos incurreret. Rem dein omnẽ narrare ingreſſus, quemadmodum ego ceciderim; quid comites conſilii ceperint; quomodo clamorem inſecuti, opem flagitatum abierint: pagani pluſculas ajunt per reliquam ſilvam, foveas latere; ſocios in earum utique unam delapſos attineri. Vero id ſimile mea mihi fortuna faciebat.

Quare, poſtquam dejectâ lapidum grandine belluam obruimus; dato duobus negotio, qui adſtrictis pedib. vectem ſubderent, inque humeris urſum aſportarent; nos ad cæteros lacus examinandos diſcurrimus. Atque altero alteróque vacuo, tertius jucundum nobis ſpectaculum fuit. Nam lupus ibi juxta pendulum anſerem deſidebat; quam ille prædam, etſi opimam, nullo tamen dente violârat. Placuit mihi continentia. Sed cæteri tanquam cædis compertum, indictâ causâ, fuſtuario mulctant. Deprecãti mihi, prudẽtior unus, neſcis tu, inquit, quantis nos hi prædones injuriis vexent. Æternũ hîc cũ urſis lupiſque bellum eſt;

16. *Lupus captus.*

nec

nec niſi mutuâ clade exſatiamur. Quippe dum naviter illi rebellant, rarò multi ſuperantur Sic nec dum ſinuntur vivere, nec cum occiduntur, ſunt innoxii. Et nunquàm ne accepiſti, quid his nuper diebus ridiculi viderimus?

17. *Vrſi populatio & venatio.* Proximus huic nemori eſt locus; ubi natura jam editis montibus ſurgit, jam depreſſis vallibus recedit: opacantur alia frondibus, alia aſperantur rupibus: hinc rivuli perennes ſcaturiunt, inde torrentes præcipites deruunt; vario aſpectu nemus, & grande ferarum ſtabulum. Urſus id loci erat, vaſto corpore bellua; cujus maleficio pagana plebecula mirè turbabatur. Ille noctu fines ſolitus incurſare, inque armenta, inque omne genus pecora identidem graſſari; ac longè latéque omnia infeſta habere: Idem interdiu caſtris ſe tenere, neque è luſtris quoquam erumpere. Tum deinde, quoties per agros nullam erat prædam agere, impudens bubilia tentabat: effractíſq; foribus, eximios tauros; aut è caulis minorem gentem abſtrahebat: idq; ſuo jam more factitabat. Habuit ea pecoris clades plebem denique ſollicitam. Quare frequentes coëunt, ſententiáſque, quid factu ſit optimum, perquirunt,

runt. Placuit majoribus provinciæ Imperatorem accedere, atque arma adverſus vim poſtulare. His decretis, cùm nemo intercederet, pagani omnes in palatium irruunt, factáque Principis copiâ, cœpit major natu Senex, pro Republicâ dicere, ac ſuas ſuæq; civitatis injurias prolixè memorare. Eò calamitatis ventum eſſe, ut nihil agere jam tútò, nuſquam commeare quiſquam impunè poſſet: in ſtabulis adeò non cuſtodiri jam armenta, ſed jugulari; dudum pecuarios canes, cum ipſis gregibus averti. Reſtare demum, ut deficiente pecore, ipſímet metuere, liberíſq; ſuis Minotaurum paſcere cogerentur. Orare, ut communibus armis hæc ſtrages fortunarum ſuarum defendatur. Cauſâ cum lacrimis peroratâ; oſtendit optimus Princeps eorum ſe damnis vehementer commoveri; & velle poſtulatis utique morem gerere. Die igitur poſtero pagum jubet omnem in armis eſſe; locúmque edicit, ubi quemque velit cum telo & venabulo occurrere. Simul dies illuxit, imperator venatum egreſſus, exercitum omnem, ut convenerat, armatum reperit. Sed in eâ legione validis eminebat viribus Cyclops; qui ſtolidè ferox,
vena-

venatorem è turbâ ſeductum aggreditur orare; uti extra ordinem ſecum ea bellua committatur, quippe ſe illam nullo negotio, & primo ſudore confecturum. Impetravit hominis audacia. Jamque adeò dum paſſim omnes

Per iuga, per ſilvas, per & avia luſtra vagantur,
Hortantúrq; canes, —

obſervari cæpta ſunt commeantis urſi veſtigia. Igitur læti, feram inſiſtunt premere, atq; ad cubilia, nuſquam confuſo indicio accurrere. Specus erat in edito monte ſitus, qui per acclivia difficili aſcenſu adibatur. Huc ubi ventum eſt, impatienter latrare canes, exultare venatores, reſonare valles audiebantur. Omnibus autē in ſtatione collocatis; Polyphemus, ſumpto temerè venabulo, proximus antri anguſtias obſidebat,

Promptus in hirſutam comminùs ire feram.

Excitatus interim vicino clamore urſus, poſtquam vidit vim parari, in penitam cavernam ſe recepit; nullâ jam arte proliciendus, ni ignem imperator juſſiſſet circundare. Enimverò vix dum fumi

fumi nidor cæperat ; cùm repentè barbarùm frendens erumpit, ínque hoſtem obvium incurrit. Stabat Polyphemus, ruentem belluam excepturus, cùm Vrſus objectas venabuli minas impigrâ manu eluſit ; & eodem mox impetu hominem invadit, affligítque. Excuſſo venabulo Cyclops, nondum ſui obliviſcitur ; ſed brachiis complexus feram, ſine haphe, ſine ceromate, luctatur. Idem & urſus facit ; hominémque

Corripit in nodum complexus, & angit inhærens.

In ejusmodi gymnaſio hi tales palæſtritæ congreſſi, alterni nunc ſuperabant, nunc ſuccumbebant, donec unà utérque per declive jugum præcipites rotabantur, inque ultimam vallem perlati, redintegratis odiis, pugnavêre. Ibi demum ſuperior Vrſus, crudeli vulnere Polyphemum pæniſſimè extinxit. Nam ſynciput illi omne detexit, cutímq; toto vertice violentus abraſit : ut cruenta pellis, ab occipitio in humeros defluens, repræſentârit

Tegmina Lingonici Tyrianthina Bardocuculli.

Tolli-

Tollitur confeſtim clamor; & Venator, ut Hoc jam HABERE Polyphemum conſpexit, properat circumvento ſuppetias ire. Quo animadverſo, Vrſus à Polyphemo divertit, ac perinde jam Venatorem petit. Dúmque ij interſe aliquamdiu velitantur, ſpatium datur Polyphemo, ſui rurſus colligendi. Qui haud ſegniter in pedes exſilit; pellémque à tergo revocatam, calvæ pro galeâ ſuperinjicit. Atque eo cudone tectus, compreſſo dolore, integer in hoſtem ruit. Jam creſcentibus hominum canúmque copiis, imparem ſe urſus ſentiens, mentum Venatoris corripuit, barbæque gloriam victori detraxit. Ita ſe ipſe ultus, noviſſimè occubuit.

Hæc ille talia commemorabat. Nos interim peragrato nemore, cùm nuſquam comites reperiſſemus, ad pagum devenimus. Ibi corpus ego curare, quæq; alia viſum eſt, agere tantiſper incipio, dum conſilium poneretur, cui me homini committerem. Invento tandem, qui gratuitum ſe ducem præberet; urbem hanc ingredior; iterato mox infortunio à vobis jugulandus, Lucius, video te, inquit, non auſpicatò profectum. Cæterùm ne infeliciores ſint co-

mites

mſtres tui, id magis metuo. Nam tu quidem ut illos amiſeris, nos certè jam reperiſti. Illi, nullo dum hoſpitio læti, te quærunt fortaſſe, ſeſéque amittunt. Atque utinam inter feras potiùs diverterint, quàm in ebrietatis theatro traducantur! Triduum enim adhuc totum hæc LIBERI orgia valebunt; cùm tu interim videbis, quantis aſſiduè injuriis ſobrietas expugnetur? Diurnatur in poculis, & pernoctatur. Ac ne hoc quidem ſolent noſtri thraſones, ut crapulam edormiant: ſed crudum ab alterâ cœnâ pavonem, rectà in alterum convivium portant: ebriíque bibunt, dum ſobrii fiant; novo artificio, & quod ſe miretur APICIUS neſcîſſe. Ego, Bicongios, frater, Cicerones; & tricongios; Torquatos & redivivum mihi Piſonem narras; quem Plinius ſcribit biduò, totidémque noctibus, unam perpotationem continuaſſe. An aliquid his ipſis portentis ſiccius dabis? Riſit me ANNIUS; &, quantum tu, inquit, aberras? Nam abſtemii illi ſiat, ad hos noſtros.

Comperi fuiſſe pronuper, qui quantumvis dolium, & ingentes vini amphoras, uno ſe ſuctu hauſturum ita promitteret; 19. *Portentoſi potatores.*

teret; ut quicquid in ora influeret, repentè abditâ corporis parte, veluti per fiſtulam dilaberetur. Et iſthæc tamen meraci liquoris pernicies, præmium etiam injuriæ ſuæ petebat. Quod quidem provinciæ Imperator haud gravatè perſolvit; cùm juſſit vini peſtem in furcam agi; reſtíque immodicam ſitim intercludi. Ita ſanè oportuit, ajebam ego; videntur quippe heluones iſti parùm habere, ſi corrumpant tam ingenui roris nectar, niſi talibus quoque ludibriis infament. Fabulam olim rebar eſſe MAXIMINUM, qui ſitim diuturnam amphorâ Capitolinâ ſubinde placabat. Sed eum hi tales hiſtoriam nunc fecere. Planiſſimè, reſpondit Lucius: Nam menſis agitur inde quartus, cum in hanc viciniam compotores octo coiëre; qui omnes uno ſigmate incluſi, ne infra MUSAS accumberent, virum nobilem, qui fortè id temporis diverterat, adſcivêre. Ibi gurges unus, multis jam quincuncibus ſiccatis, in vaſto ſibi juſſit, non cyatho, ſed dolio miſceri; quòd ægrè viginti ſextariis explebatur. Rogavítque legem, ut menſam perambularet amphora; eáque à binis identidem hauriretur. Juſsêre legem cæteri.

At

At ipſe primus —*impiger hauſit*
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro.

Inde alii ſuper alios irruunt; ſingulíque prodigâ ſiti totas propemodum vindemias liguriunt. Jámque hoſpes, quem dixi, ſuper unus erat. Is admiratus Charybdes illas, negavit in tanto ſe naufragio natare poſſe: ac propterea non reſtare jam de accumbentibus, quîcum id Bacchi Patrimonium partiatur. Datur ei venia, ut circumſtantium aliquē legat. Ille ventrioſum ibi ſervulum habebat, qui ad equos curare ſolitus, dominum comitabatur. Huic herus, potin', inquit, Saturio, ut unus hunc mecum Oceanum ſorbeas? Ait homo periculum priùs facturum. Ità cum illo portentoſæ magnitudinis poculo in angulum ſecedit; ac dicto citiùs, omnem illam vini vim ſolus exhaurit. Mox ad herum reverſus, poſſe jam ſe reſpondit: pergeret proin' ille, conditionémque admitteret. Erectior eo ſpecimine hoſpes, jubet properè coronari cyathum: cúmque primis duntaxat labris libatum Saturioni reddit. Quem ille utrâque manu complexus, ac ſi nunquam bibiſſet,

ſet, altero ſtatim ſpiritu, ad imum ita ſiccavit, ut cottabo nullam vini guttulam reſervârit. Perditum tamen hunc nebulonem ſpongiâ quâvis adhuc ſicciorem vidiſſes: nullâ, ne ſic quidem, vertigine actus, ſuis ſe ipſe pedibus fulciebat.

20 *Vinolentorum in vini amatores iniuria.* Ego, non igitur abs re eſt, inquam, quod illi nuper militi doluit. Is de aquatione aſſiduâ conqueſtus, quòd fateretur:

Vinum ſe toto neſciſſe Decembri:

audierat, fortè; naturam liberaliter egiſſe, ut quæ ſingulis, in diem, ſingulos vini ſextarios providerit. Malam ergo rem, reſpondit, quòd meum mihi dimenſum nunquam redditur! Et homo is egregiè ſit nequam; quem delectet, tanto me quotidie patrimonio evertere. Eum ego ſi cognoſcerem, næ ille magno mihi furtum hoc lueret; & in corium ipſius meus ſe ſextarius vindicaret. Certè hunc ille furem apud vos, video, reperiſſet.

21. *Cœna apparatus, &* Cùm hæc dixiſſem, adeſt cum eleganti cultu puer; monétque, horam eſſe cœnandi: ſi ſuave nobis eſſet, ſequeremur.

Ple-

Plenâ ſtridulus ANSER in culinâ,
Et latos Spado GALLVS inter i-
gnes,
Et PERDIX, dominiq; PAVO
caudâ,
Et grandis volucrum Alitumq; gran-
do.
Iam dudum à verubúſq; flammulíſq;
In lautas parat involare menſas.
Porcelli quoq; grunnientis exta,
Et LVCANICA Ventre de FA-
LISCO,
Et farta piperata fruſta PERNAE,
Iam feſtas onerant ſuperba lances,
Iam ſtructor iubet, imperatq; Carptor,
Iam totas Cocus explicat Culinas;
Et nullos queritur venire DENTES.

excuſatio tenuitatis.

Delectabat me pueri non rudis hendecaſyllabus; & quæſo te, inquam, LucI; an tota tibi familia poëtatur? Riſit LucIus; &, per hos, ait; dies edixi pueris, ut divinè poëticéque loquerentur. Vbi natales compotorum abierint, redibunt in naturam; & incipient humanè loqui. Interim nunquid imus & aſſidemus? Reſpondi me, ſi ita vellet, de viâ feſſum, maturam in obſonia famem afferre. Eam, inquit ille, ſi plebejam habes, meis quidem ferculis pro-

ſligabo. Ceterùm magnopere vereor, ne ubi cœnaveris, tum denique intelligas, ſplendidius invitatum eſſe te, quàm cœnatum. Nam neque ea mihi culina eſt, cujus fumos decepti vigiles metuant. Neque alios ferè, quàm

Plebeios calices & paucis aſſibus emtos
Porrigo. ----

Ita manu me acceptâ in triclinium abducit: locum, à lychnis cereisque meridiei æmulum. Ibi aquâ manibus ſumtâ, confeſtim accumbimus.

22. *Pavonis artificioſum ferculum.* Iam anteceniis ad illicium gulæ defloratis, & mulſo in veterem ritum hauſto, decretoriis armis reliquam cœnam aggredimur expugnare. Cùm, ecce tibi primus omnium Pavus importatur, quem planiſſimè vivere oculi peierabant: neque eum ut carperetur, ſed ut unà cænaret, in menſam convolaſſe. Quippe is per vertebras quaſdam occultas movebatur, orbésque noſtros ardentibus oculis aliquamdiu deſpiciebat. Tum autem, ut inflato gutture vocem cæpit colligere, & oculeum Syrma lentè ſuperbéque explicare; ac demum vehementi motu ſe ipſe ſuccutere: Ego mini-

minimò minùs profugi; niſi me ANNIUS juxtà recumbens tenuiſſet. Et hoc nimirum erat, quod promiſeras, inquam, ne quem in me ſumptum faceres? Iam tu epuliſne, an prodigiis menſã oneras? Vtiq; Hydra hæc aliqua eſt, quam non edam, ſed timeam. Iuſſit me ANNIUS bonam mentem habere. Ego, tibi, inquit, Hercules ero, atq; in hac Lernæ patina, Hydram jugulabo. Simul cultro adverſum pectus hauſit. Mirabile viſu, Diſcedit inſperatò quatuor in partes oſſea compages, quam argentea catenatio ſuis articulis firmaverat, figuraveràtque: patent in vacuo receſſu eboreæ rotæ; quæ tacitis librataæ momẽtis paulò antè volucrem mentitam animârant. Adjungit LUCIUS, nempe aves etiam iis diebus perſonatas apud VTOPIOS eſſe: neq; dentibus ſolis lautitias apponi: oculis imò ipſis & cœnamus; & guloſi ſumus. Verùm de reliquo ne metue: ſubibunt jam quæ & fami ſint ſedandæ.

Explorato artis hujus ingenio, vacuúmque tempus, quò biberem, nactus; attollo poculum, & bibo. Verùm ea erat vini præſtantia, ut aquâ videretur diluendum. Quam dum à pueris expecto, LUCIUS occupat, &, hinc, ait, habebis, 23. *Fons penſilis.*

frater. Digitóque intento, perennes in aëre lymphas commonſtrat, uberrimè pluſculis ſyphonum tubis exundantes. Eas ego, tametſi ſupra caput aſtitêre, nondum adverteram, ambulanti cœnæ intentus. Poſtquam igitur ſuſpexi, nihil omnium adhuc fuerat, cujus videndi pertinacior me voluptas teneret. Quippe fons erat, qui ab humo nuſquam inſiſteret; verùm de alto laqueari pendulus, oculos miro artis ludibrio faſcinaret. Ejus labrum orichalco factum, atq; anaglyptis ſcitè confuſum: Sparſiones nitidas & abundas undique depluentes excipiebat; eâ fide, uti menſam, cui mediæ imminebat, nullâ defuſi liquoris ſtillâ reſpergeret.

23. Attonitum ibi me; ac neſcio quid ridiculum, Lucrus, ecquid ergo mihi videatur? interrogat. Ego præ piſce Pontico mutum me, aut plenâq; ratione jam in illud miraculum conſumtâ, lapidem dicere. Quî enim poſſum, inquiebam, quin peregrinis aulam hanc Sacris initiatam putem? Et juges hæ nymphæ per liquidum aëra laſcivire, quæ nullo tamen ſubterraneo tubulo ſe emerſerint, nec de ſummâ teſtudine delabantur, patriis, opinor, artibus haud didi-

didicêre. Suſpenderant autem omnem hanc elegantiæ machinam, tres de Serico texto funiculi, qui ab crateris margine, æquis inter ſe ſpatiis ſurſum verſum educti, in aureum tabulati pomum coibant. At ego indidem hauſturus, nequii eò altitudinis pertinere, ut fontanam contingerem. Quare jam & mihi deridiculus, reſpicio cæteros, ajoq́;

Impoti moriemur hîc ſodales,
Si tali ſitis eſt domanda lymphâ.

Nam ut ſuperbiunt hæ undæ! ſitímq́; advenam contemnunt? In gigantium utiq; convivia ſuſpenſæ: ad quos pumili nos ſumus; & pegmate penè altero indigemus, ut iſtùc evehamur. Tum Lucius, digitos à pollice proximos in annulum indere, qui de crateris umbone modicus eminebat, ac penſiles aquas quod libuit, nullo negotio detrahere: cùm interim, neque pendere machina deſineret, & perpetuus nympharum tenor nuſquam titubaret.

Ego de nihilo trepidus, Lucium, 25.
ut parciùs hæc vellet, commoneo: perſuaſeram enim mihi, non dubiam ejus operis ruinam, ſi deorſum porrò tenderetur. Poſteà verò quàm ſana undique

omnia conſpeximus, & ea nos dicere faceréque perſeveramus, quæ uſuvenire mirantibus ſolent, cæpit ANNIUS ſingula eius prodigii momenta evulgare. Et, viden' inquit, hoc tu Serici texti filum; unde omnem hunc ſalientem in aëre libramus? Ego, hoccinne, ais, trigeminum? Sanè, inquam, Ac ſimul manum injicio, oculíſque rem ſollertiùs contemplor; dum abſtruſos albentis plumbi tubulos deprehendo, quos textiles illæ ſericæque nebulæ amiciebant. Et re perpensâ, ad ANNIUM, reperi fraudem liquidiſſimè, ſucclamo. Senſit ille continuò rem eſſe; & non erras, inquit, frater. Nam per hos cuniculos, aqua clanculo in hujus MARSYAE pilam inſinuatur, indéque fiſtulatim apertâ vi revomitur; ſéque ipſa per hoc ahenum diffundit, quam poſtliminio omnem occultâ contentione iſtic tubus, ſub alterum funem inſutus, aſſiduè reſorbet, inq; ſummum lacunar vel invitam reducit. Quo fit, ut adimenſum ſemper & inundetur hæc capedo, & nunquam tamen exundet. Cui rei facit in primis antlia, ſive ii ſunt aquei folles, ſuper hoc tabulatum ingeniosè ſtructi, à quibus tubuli, quos dixi ingurgitantur alterni, & exhauriuntur.

Cæte-

Cæterùm minus eſt decem dierum, 26.
quando incóram adfuit Hiſpani nominis adoleſcens, & cum eo lecta gentilium manus; qui, ſecundùm ea, quæ in congreſſu ſolemus, hanc ſibi rogârunt veniam dari, ut liceret domi meæ curioſos eſſe. Ego, quòd & litteratos & cætera humanos arbitrabar, facio copiam admitto, deduco. Ut ventum denique in hanc diætam eſt, oſtentum hoc merum eſſe, & plùs quàm humanæ ſollertiæ commentũ vociferantur: Dædalum ipsũ tantæ rei inveniendæ non fuiſſe. Utque in partes diſceſsêre, aliis aliud opinantibus, juvenior unus; nempe dum nos, inquit, litigamus, & an, motus arte perennare poſſit, ambigimus, interim cauſam hæc, ecce, monſtra diſceptant; artémque ad tot judicum ſubſellia ream noſtri nunc oculi abſolvunt. Nam hæc mihi niſi perennis agitatio eſt, exſenſo lapide quin ſim ſtupidior, porrò non excuſo. Dixítq; id eâ vocis & oris contentione, ut pateret ſerium eſſe, & pleróſque commotos: quorum alius, jam nuper, ajebat, ſe ex homine non indiligenti comperiſſe; id genus artem, in vitreã quoq; ſphærulâ, (non illâ Archimedeâ,) vivere cæpiſſe, Regíq; inſulano in ma-

 nus

nus veniſſe ſimul atque excidiſſe; quam tamen cladem idem artifex poſt quartum & decimum diem, alterâ ejusdem ſpeciminis illecebrâ reſarſerit. Reſpondi, nolle me huic, ſive fabula, ſive hiſtoria eſt, oculos effodere: Scire tamen quantâ pridem infamiâ laborent, qui, ubi ſomniaſſent motûs perpetuitatem, continuò illud ἕυρηκα per diſpoſitos præcones intempeſtivè proclamarint: Certè, quòd ad præſentis rei faciem attineret, hîc verò à ſomniis otioſi eſſent: nolle me hâc fabularum annonâ in populum probari.

Sub hæc ANNIUS frigidam chryſtallo haurit, eâq; mihi porrectâ, fontem, unde detraxerat, eódem rurſus impellit. Qui ſuis ſtatim momentis evectus, lychnuchum mihi genuinum, à tholo penſilem, referebat. Ego venuſtiſſimæ rei fugâ delectatus, dixi, ad reliquũ cœnæ mihi haud perinde allubeſcere: ſed ſitim, ſi quæ ſit, malle me in fontis ſpectaculo trahere, quàm vel Apicianâ promulſide jugulare. Tum, gratulor mihi, inquit Lucius, dum nullæ dapes ad ſtomachum faciunt, eſſe tamen aliquid, quo tute poſſis oblectare. Siquidem adven-

adventitiam hanc tibi cænam paravimus, id eſt, extemporalem, ac brevem, quando conſtitui te ad ſolennem juvenũ corũ, de quibus ſupra demonſtravi, pompam ducere: ubi luxum morémq; plus Aſiaticum liceat ſpeculari. Et, crede mihi, Sybaritas jurabis, cùm videris. Innuit ſecundùm hæc puero: qui rurſus à non vulgario pede verſum inſtruxit: dumq; nos cum patinariis voluptatibus altercamur, & ſolidas lites Falerno lepôre temperamus, interim ille cæteras conviviorum inſanias, ſic eſt perſecutus:

Difficile eſt Satyram non ſcribere. Nam quis iniqui 27. *Conviviorum luxus & inſania.*
Tam patiens luxûs! tam ferreus, ut teneat ſe?
Conſtitit in ſummo vitium. Neq; fercula cenſus
Patritii ſaturant. Neq; tot patrimonia lances
Sufficiunt replere duas. Placet una voluptas,
Quæ totis emitur pauca in convivia regnis.
Pridem noſtra gulam regio defecit. At Indo
Ingluvies cænam vocat ambitioſa macello,

Phaſidos exhauſit modò littora, Paſcitur orbe
Altero, & in Libyes damnum popa venter anhelat.
Et Numidûm galli, Phariiq́ ſagina Canopi,
Nobilis in noſtrâ iugulatur præda culinâ.
Plebeiùm ſapit, atque nauſeatur
Quicquid ſub patria natavit undâ,
Quicquid per patriam volavit auram:
Sed ſolùm peregrina iam ſuperbo
Seſe fercula venditant palato.
Quas neq́ Pollucti effuderat Hiſtrio primis,
Canula nunc illas infima fundit opes.
Sexcentis patinam plebs millibus æſtimat unam:
Et modus impenſa eſt, non habuiſſe modum.
Prodiga vult ſolis volucrûm gula vivere linguis.
Caráq; pennigera funera gẽtis amat.
Hinc perit Aonia vox laudatiſſima Silva,
Et quicquid ſtreperâ garriit in caveâ.
Hinc Perdix, hinc turde ſiles, hinc Pſittace luges.
Hinc

Hinc quereris cantus Aura tacere tuos.
Non licet Aſſyrio cerebrum retinere volucri,
Paſcit Avis noſtram tam pretioſa famem.
Quaq; priùs tutâ gemuit ſuper arbore linguâ,
Nunc gemit infeſto lingua rotata veru.
Sive per Heſperium Murena perambulat æquor,
Sive ſub Euxino gurgite Rhombus habet,
Adria ſeu Mullum, ſeu lympha alit ulla Catellum,
Illis eſt patina vaſta replenda palus.
Nec ſolùm eſt pretioſa fames; precioſa perinde
Eſt ſitis, aſſidui rore domanda meri.
Vnio quippe viris Mera fundere vina iubetur;
Et fieri gemmis ebria turba ſolet.
Hac ego non credam venuſinâ digna lucernâ?

Commodùm hæc nobis abſoluerat, gratâ volubilitate Puer, cùm repentè cæpit in diætæ angulo ſuaviſſimi concentûs 28. *Convivialis ſymphonia.*

centûs muſica exſonare. Ego, retortis ad illam oculis, jucundam ferarum ſcenam intueor; Simios grandiuſculos duos, qui ſingulas teſtudines complexi, ſcienter luſitabant. Ponè hos, tigris altera citharam, altera chelyn eburno plectro temperabant. Satyriſci deinde ac Fauni quatuor liquidis vocibus accinere; & Vrſus denique barbyton animare notabantur. Miranti mihi, quis feras ad hanc humanitatem erudiiſſet; ANNIus innuit, Pueros eſſe ſymphoniacos, qui in pelles conjecti, artem illam Muſicam efferarent. Laudabam ingenium, quo etiam Artibus perſonæ inducerentur; ac totus inhiabam. Cúmque illi me Amphiones diu vocalibus illecebris ludificaſſent, pænè ut jam in ſomnum nutarem: excitavit me ANNIus, &, miſeret me tui, qui inter has, inquit, epulas potes eſſe Tantalus: Quẽ enim, inquiebam, non invitarent, immò evitarent hæ Sirenes? Senſum omnem eripiunt; nec meus ſum, quoties meæ harum ſunt aures. Sublatâ ille confeſtim manu innuit; nutúque uno omnem illum Heliconem exanimavit.

29. *Abſente* Tum, narrabo inquit, frater, quid vicino huic noſtro, nudius tertius acciderit;

derit: ut eſt homo copioſus, ſed oppidò litterarum rudis; ac ſolis comeſſationibus doctus. Nam cùm cenſus nuper helluonum agebatur,

domino, famuli culina, & cella dominantur.

— nulli maior fuit uſus edendi
Tempeſtate illâ, Circeis nata forent, an
Lucrinum ad Saxum, Rutupinóve edita fundo
Oſtrea, callebat primo deprendere morſu,
Et ſemel aſpecti littus docebat Echini.

Neque hodie in Bacchi Circenſibus ab ulla factione temerè ſuperatur. Ille cælebs; & quod de Claudio Cæſare fertur, in mera vernarum familiâ, omnium verna eſt. Uſus forte venerat, ut foras condiceret, ad Quinquatria calicum celebranda. Cui itineri accinctus, ſervulum jubet unum comitari; cæteris diem, quo reducem expectarent, conſtituit. Præbuit ea res famulis materiem fraudis texendæ. Qui omnes uſi ingenio coiére, cæperúntque, auctore Atrienſi, non incallido ſervulo, inter ſe conjurare; ac fortunis heri omnibus bellum indicere. Convenit autem, ut ſumptuoſum pro cœnâ ſympo-

ſium haberent ; heróque abſente Saturnalia Romana viverent. Ad illud pollučtum neu quis niſi ſervus ac familiaris vocaretur ; néve niſi ebrius accubitu ſurgeret. JOVEM LAPIDEM, quà ſinguli, quæ omnes jurarent, nihil enunciare. Coquus, cùm reliquam legem juſſiſſet ; interceſſit, ne lex de externis prohibendis perrogaretur. Eſt, inquit, è regione ſcriba, juvenis bene litteratus ? quem meminiſtis omnes, quoties nobis ille obſequatur. Hunc VELITIS JUBEATIS, Quirites, ab hâc lege eximium, noſtris conſiliis intereſſe. Juſſerunt omnes. Inde plebiſcitum factum, quo negotium unicuique datum, quid fieri oporteret : Diſpenſator florem dominici vini, ad reliquum penum curaret ; Coquus prædam primi nominis è piſcinâ ; ſummam de corte indolem, totúmque vivarium in culinam ambulare cogeret, ac focum luculentum adornaret : Atrienſis, rejectis Samiis, ſupellectilem argenteam præberet ; Janitor, invitato ſcribâ, cæteros omnes arceret ; reliquus miles, in opere faciundo, ſuis quiſque ducibus paréret : Ea denique omnia ut ante primas faces confierent, Porrò, ne quis cœnæ indicem

dicem ignoraret, hanc tabulam in triclinio fixêre.

In iure liquido, & delicato naufragos
Duos ſpadones gallos; Numidicas duas
Gallinas; Anſerem fartum unum: Porcii
Corocotta Grunnii nepotem unum; Trium
Pondo Murenam; Leporem bimum; & cæteras
Minoris nominis dapes. Tum dein' duos
Vini Falerni congios; & Cretici
Vnam, unam Maſſici liquoris amphoram.

Additæ ſocordibus pœnæ: Congius uno ſudore hauriendus.

Poſtquam ità decretum eſt, derepentinò

Fit ſtrepitus tectis, vocemq; per ampla volutant
Atria. Fervet opus. —

Stricto mucrone ædes perambulantur. Jam alibi piſces in macello exenterantur; alibi gallinæ, teneráq; earum familia jugulantur: hi leporaria cultris vaſtare, hi cellam vinariam cum cadis per-

curſare conſpiciuntur. In communi omnium clade, hîc porcelli grunniunt, hîc anſeres ſtrepunt: pavitant lepores, trepidant volucres. Nemo non cædibus operatur: & pars ignaviæ eſt, crudelem non eſſe. Quid multis?

Omnes ſe prædæ accingunt, dapibúsq; futuris
Tergora deripiunt coſtis, & viſcera nudant;
Pars in fruſta ſecant, verubúsq; trementia figunt
Corpora: ahena locant alii flammasq; miniſtrant.

31. Jam ſol in veſpernm, jam dies in ſenium ibat; & crepuſculum ut ut properaret, tardum credebatur. Interea loci adoleſcens peregrinus, quem intempeſtivè pecunia defecerat, urbem ingeſſus, gratuitum vicatim diverſorium quæritat. Ac multis hinc indè foribus nequicquam ſalutatis, ad illas deniq; ædes divertit. Utque inſtitit primùm valvas pultare, ocyùs omnes vernularum cunei accurrunt, ſcribam ſuum cum applauſu accepturi. Vident pro ſcribâ hunc, quem dixi, adoleſcentem. Mutato ſtatim vultu, rogant triſtes, ecquid ſibi hoc noctis:

& hoc

& hoc loci velit? Hoſpitale cubiculum, inquit, & larem honeſtis litteris patronum. Ajunt, aberraſſe illum de viâ. Nam ſi Prytaneum quæreret, procul indè Athenas eſſe. Apud ſe nullis litteris annonam præberi. Supplicat obſtinatis adoleſcens. Illi pertinaciter negant, id abſentivo patrefamilias licere. Inſtat ille, urget. Perſiſtunt illi, & cum dicto januam occludunt. Ita excluſus, hæret, quemnam porrò hoſpitem ſalutet! vertit in omnem partem ſeſe, videtque furtivo paſſu de viciniâ juvenem prodire, ipſasque illas ædes petere. Et nempe is, quod pòſt comperit, ſcriba erat. Stetit alter, & è propinquo, quid fieret, aſpectabat. Cæterùm vix leviter Scriba pulſaverat, cùm undiq; properatur, aperitur, intromittitur. Tum ſecum ipſe miſer, quantum inquit, homo homini præſtat! & iſtic, quàm molli ariete expugnavit pertinaciam oſtii hujus! Simul ad rimulam ſe admovet : conſpicatur advenam, inter amplexus famulorum: letáſq; acclamationes triumphare. Hæc ſpeculanti, ex ipsa re, incidit ſuſpicio: hem! herus abſens; familia nunc triſtis, de improviſo læti; repulſus ego; receptus alter: ex his centonibus non poteſt, quin

quin fallaciæ ſuantur. Eas quo ingenio deprehendat, meditatur. Sed enim dum circumit, & quâ parte domus ſit pervia requirit; moræ impatiens

Nulláne, finis, ait, noſtro eſt ſperanda labori?
Triſtis & in patulo limine ſomnus erit?
Me media noctes, me ſidera prona iacentem.
Frigidaq; Eôo veſtiet aura gelu?

32. Hæc taliáque ſtomachatus, venit ad poſticas ædium fores; ibi horreum malè ſartum invenit; perrumpit, ſeſeque in ſummum fænile penetrat: lectulum certè habiturus adverſùm noctem, quando cænula ſe fami negaret. Decubuerat jam in culmo, & incænatus oculos in ſomnum orabat; quando indidem cæpit clamores ſervulorum, riſúsque audire, tam clarè, ut vicinos eſſe non temerè crederet. Igitur victus humani generis vitio, cupit eôdem oculos transmittere, quo jam aures pertinuerant. Nec quievit, donec alicubi fatiſcere modico hiatu parietem advertit: per quem, magnam culinæ partem felici curioſitate tranſpiceret; ac, quoties janua impelle-

pellebatur, ad uſque triclinium, inſidias oculorum promoveret. Quacunque aſpicit, ſpatioſa gulæ paſcua occurrunt: nec ſeries ollarum explicari per foci anguſtias poteſt.

— inſeſſaq; pondere tanto
Subter anhelat humus. —

(Domus quippe omnis funalibus, atque ipſo culinæ incendio luculenta, nihil jam illi habebat occultum.) Videt dapes, pluſquam ad vernile palatum lautas: videt hinc generoſi vini teſtas, pittæciis inſcriptas; hinc ſtratas magnificè menſas, & in epulonum comitia inſtructas. Quid multa! invident hanc dentes oculis ſuis illecebram, quam eripere mallent; pœnituítque jejunum vidiſſe, quæ famem & ſaturo, ſitim vel ebrio feciſſent.

Inter tam ſuperbam ciborum indaginem diſcumbitur, cœnatur, bibitur. Viſi omnes adverſus fortunam ſecuri, tutas noctis illecebras, & poſteri diei repotia ſomniabant. Sed enim 33.

Nec dum prima fames epulis, nec prima falerno
Pulſa ſitis fuerat, - - Vix imò dum
Cœperat Iſthmiaco fervere Lyæus in auro,

Cùm

cùm equitum fremitus, & equorum hinnitus auditur. Combibones nihil ſuâ quidem intereſſe rati, ſeſe erronibus poculis invitare, ac fauſtam heri abſentiam inſiſtunt bibere. Interea pro ædibus cõſiſtitur; negligunt. Pultatur, contemnunt. Clamor noviſſimè tollitur: at illis auſcultare, nondum neque otioſum erat, neque opportunum. Pergunt tamen à foribus infeſti eſſe, & moleſti: clamant, pultant, turbant. Denique audiuntur. Procurrit janitor, deque feneſtræ ſpeculâ ſtomachoſus, ecquis turbet? ſcitatur. Audit, agnoſcítque herum eſſe. Continuò mentis ac linguæ inops, ad convivas advolat; dicit in auriculam Atrienſi, herum eſſe. Lymphatus ille exſilit: eodem accurrit, fidémque explorat oculorum. Redit amens, & compotoribus, herum eſſe, palam inclamant. Jugulati omnes ſupremo infortunio, vocem amittunt, & quâ cuique proximũ eſt diffugiunt. Alius cantharos cirneáſque in angulum aliquem abdere; alius intactas dapes humi deponere, atq; injecto amiculo ſuperobruere; alii alia properare, & omnia turbis erroribúſque confundere. Jam pleramque omnem ſupellectilem migraverant, reíque indicium probè texerant:

xerant; niſi mediaſtinus ſervulus arcanum omne infeliciter corrupiſſet. Is unus, cùm ſe profuſiùs ingurgitaſſet, in fœdâ exercitûs fugâ, temulentus vacillabat; jamque ſuper triclinii limen abjectus, pro ſemianimi ſuccubuerat. In eo auferendo dum tres alii laborant, uni vinum effunditur de lagenâ, quam ſecum abſtulerat; & largiſſimo fluento circùm omne pavimentum inundatur. Hîc miſerabilis omnium clamor: utique jam proditos ſe, nec indicium porrò celari poſſe vociferantur.

Sub hæc, & Atrienſis accurrit, opémque in ingenio quærit: & janitor abit, herum tandem intromittere. Qui quidem quoties paſſum facit, toties importuno adventori, peſtem pro adventitiâ precatur; quòd tam hilarum conſilium ipſis hilariis diſturbaſſet. Sed & Scriba deprehenſus, quem locum caperet, ignorabat. Ne primo tamen ingreſſu conſpicuus eſſet, per tenebras fugit; ſeséque ponè herilem lectulum abſtrudit: periturus noctu, ſi vel animam ſonantiùs duceret, vel alio ſe ipſe crepitu moveret. Reſerantur denique fores, & herus ingreditur, qui vultuosè percõtari inſiſtit; eccur verbero in foribus re- 34.

clu-

cludendis hanc moram fecerit; Servulus, eò, inquit, quòd altùm familia omnis obdormierat; neque te hâc noctu quiſquam putârat opperiendum. Credidit albæ mentis, vappa; & reſtinctis dudum omnibus lychnis, cum fuſcæ laternæ ſpurciſſimâ animâ, ad triclinium perducitur. Occurrit in primis gradibus, cupediarum inſolens nidor. Eum ait janitor à contiguis ædibus extitiſſe. Halitus generoſi liquoris undique reflatur. Dolium ait ſervus relictum fuiſſe, idque hac graveolentiâ domum infamâſſe. Feliciter ad id locorum mentitus janitor; quid jam in triclinii limine cauſſaretur, cogitabat. Nam ut eò pervenit herus, luctantes adhuc cum ebrio cæteros invenit. Cujus cauſſam ſciſcitanti, Atrienſis prompto mendacio reſpondit: Eum per obſcura noctis incautiùs properaſſe, ut illi primus occurreret: interim in trabem incurriſſe; unde in mortuum decumberet, & nec dum ad ſe rediiſſet. Quærenti dein', cur igitur à vino cadaver fœteret, ille, quòd, inquit, faciem omnem pauxillo vino permulſimus: & hoc ſucco medico animam prope fugientem retinuimus.

Non

Non ſenſit verba dari vecors animus; ſed fidem conſtare familiæ ratus, triclinium ingreditur; jubétque coquum præter cæteros expergefieri, cœnulámque ſibi & comiti ſuo maturari. Adeſt ille, non de ſomno, ſed ſympoſio excitatus: negat domi ignem, negat focum eſſe, ad quem extemporales inſtrui cœnæ queant. Velle ſe tamen juris aliquid apparare; ac ne capite cœna finéque careat, ova & mala ponere. Nam aliud intempeſtâ nocte, & paſſim offuſâ ſoporis nebulâ, haud perinde poſſe. Ita abit; ac ſuſcitabulo ignes (quos jam antè, ne ſceleris veſtigium foret, frigidâ reſtinxerat) animare aggreditur. Enim verò hic,

Infinita cavi ſpirant convitia folles,
Augeſcitq; à bile focus, flammæq; recentes
In maledicta ruunt. —

Voluiſſet ad hujusmodi offam, ne Cerberus quidem invitari, quam his Medea precibus luſtraſſet; ſed aliud ab iratâ culinâ non debuit expectari.

Nihil fiebat horum omnium, quod arbitros adoleſcentis oculos falleret. Is & dapum ſublatarum ſtruem, & muſtu- 35.

len-

lentos calices, & trepidum ſcribam, & alia ſuis quæque latibulis reponi obſervârat. Pòſt verò quàm omnem ejus tragœdiæ cauſam didicit, & potoribus interveniſſe herum ſenſit, venit in ſpem cœnæ potiundæ, ſi ingenio uteretur. Ad hæc dolebat homini repulſa; jámque ſtimulis in vindictã agebatur. Proinde clam de fænili ſe dejicit; horreúmque omne remenſus, in publicum exit; atq; ad eaſdem poſtliminiò fores redit, quarum pertinaciam tantulò antè compererat. Indidem audacter clamat, & noctis unius hoſpitium rogat. Senſit illico non idem foribus ingenium eſſe. Nam herus, re cognitâ, admitti imperat intempeſtum ſibi hoſpitem, & jubet quicquid cænulæ eſſet, convivam eſſe: homo peregrinæ rei præcupidus, videt mox liberalem vultum, & modeſtiæ primæ indolem; ac laudat. Pòſt, avidè ſcitatur:

—Quæ cauſſa coëgerit illas
Id noctis tentare fores? quò tenderet hoſpes?
Qui genus? unde domo?

36, Ad quæ ſingula reſpondit adoleſcens, haud ſimplici commento; addidítque

que litteris ſe Grecis ac Latinis doctum, humana inſuper jura didiciſſe, & naturæ arcanæque artis myſten eſſe. Sapientiæ diſciplinas innuebat: ſed alter in diverſum trahere, hominémque cæpit ſuſpicari, divinum eſſe, & magicis injuriis naturam excantare, aliáq; poſſe oſtentadere. Auxit eam perſuaſionem, quòd mira quædam hoſpes memorabat, quæ in Cimmeriis vidiſſet. Nam ibi fuiſſe, qui artem profeſſus volandi, brevi effecerit, ut aër novis inquilinis habitaretur, viámque homines in cælum affectarent. Etſi nondum eſt, inquit, cur cælites ſibi formident: plerique enim inter prima adhuc rudimenta, alas exuunt, non recepturi. Et Magiſter ipſe diem forte edixerat, quo ſpecimen veri eſſet daturus; accurrerátq; magna hominum vis, inſaniæ ſpectatrix: Cùm ille in præaltâ turri conſpicuus, utrique brachio grandes alas implicuit, ac minuſculis pedes induit. Tum paſſis manibus ſuam artem advocare: ſeq; in liquido aëre ſuſpenſum, populo cæpit oſtendere. Enimvero tum artifici turba applaudere, Dædalúmq; clamor à fabulâ vindicare. Sed enim quem illæſum aër tenuerat, eum longè inhumaniùs terra accepit. Nam

ubi demittere ſe voluit, temerè ad rupem illiſus, crura miſer lumbóſq; effregit. Quod priùs ajebat nunquam acciſſe; ſed tum deniq; vertigine perturbatum, temperare ſibi in deſcenſu nequiiſſe. Non terruit ruina diſcipulos: qui pluſculi adhuc pergunt; remq; ajunt eſſe facilè facillimam, VOLARE: id jam ſolùm agi, quemadmodum ſine noxâ in terram deponantur. Ibi enim in re tantulâ plerumque periculum adiri.

37. Hoc genus plura cùm juvenis feſtivè memoraret; jamque in eo eſſet, ut ædium dominus ſpecimen optaret artis ATRACIAE fieri: interim Coquus cùm annonâ malignè præbitâ, & natanti juſcuſo ſubit; quam cænam putida appendix coronabat,

—*Dimidio conſtrictus gammarus ovo*,

aut ſi quid abjectius potuit ſervilis vindicta coquere, vix autem in januæ limen evaſerat, cùm obtunſis pedum digitis in ſellæ fulcrum offendit, & pronus, excuſſo de manibus ferculo, proſternitur. Nec mora canes undique accurrunt, & arbitrati ſuum ſibi dimenſum obſipari, gnaviter helluantur. Tum verò effusè

ridere

ridere omnes,& Cynicam hanc eſſe cœnam dicere: At Coquus ſtomachari, & iræ plenus profugere.

Tandem pater inquit familiâs, niſi aliis nos artibus hodie obſonamus, incœnatis eſt dormiendum. Sed profectò ferunt potentes eſſe aliquos, qui arcano murmure cælum poſſint omne deponere, terramque de nubibus ſuſpendere. Quin imo, inquit alter, didicerint fontes durare, montes diluere, & magnis identidem ludibriis naturam fallere. Excipit herus; & his promptum utique ſit, cænulam ſubinde modicam excantare. Ac tu quidem ſi talium es artium gnarus, quid porrò differs? prohibe hanc noctem nobis abſtemiã eſſe. Nam vides cæteroquin, quàm nullum familiæ ſtudium vigilet! Caſtigavit improbũ votum adoleſcens, monuitque ſaniora velle. Gulam tanti non eſſe, cui tanto cum periculo litaretur. Ceterùm ſi epulas concupiſceret, ego, inquit nequaquam, uti multi, malis artibus nitendo, neque ſepulcralibus odariis, ſed ſanctioribus diſciplinis operatus, res tibi tales effectas dabo; dum hâc tamen lege tecum transegero, ut ne cæpta mea intempeſtivè diſturbes; ne- 38.

que juſto curioſior, quid agatur, requiras. Sed ſilentio auctoratus, ſpectator eſſe, quàm negotioſus actor, malis. Promittit ille, & piſcem, ait Ponticum vides, aut neminem certè hominum minùs linguacem. Simul obmutuit. Circumſtat familia, ignara exploratoris, & arcana ſui ſecura, quid moliatur hiſtrio expectat.

Hîc cœpit advena & cum voculis nulli rei ſignificandæ, ſed in ſtultitiam inventis, deſcribit orbem; atque indidem jubet ſervulum (quem unum herus peregrè adduxerat) in culinam decurrere; inventurum inibi gallum ſpadonem, à veru etiamnum recentem, & poſt januæ limen excubantem. Servi inſperatò fulminatos ſe credidêre; & alterum alter intuiti, proditionem conjectârunt. Dúmque annuunt inter ſe abnuúntque, abit vernula, rerúmque mimicarum ignarus, tollit ſemimarem capum, atque in menſam hilaris importat. Herus bonis ſe avibus pedem intuliſſe ſentiens, in reliquam ſcenæ comœdiam excitatur. At ceteri plus jam ſpectaſſe ſibi videbantur, quàm vellent: ereptâque dentibus præda, omnium ungues in prædonem pruriebant.

Inte-

Interim pergit hiſtrio, jubétq; illicò ad ædium primas ſcalas ire, indéq; in ſalſamento lepuſculum capere. Abitur, quæritur, reperitur: &, famulis nequicquam ringentibus, infertur. Mox eidem ludio, pro foribus, inquit arca quædam eſt lignea, illam tu expilato; dapſiléſq; hinc volucrum, hinc piſcium delicias, diverſis in patinis diripito Nihil obſequii omiſſum; & absque reti, ſquamigeræ, aligeræque gentes, in poteſtatem venêre. Vix etiamdum redierat cum dape famulus, & altero mox imperio ablegatur: jubetur, ponè focum, Gallinam Numidicam cum tribus liberis, ex amiculo evolüere. Non ſegnis jam alter ad hæc imperia, currit; ſcrutatur; redit triſtior: ait, illam verò matrem deſieri. Erubuit errorem adoleſcens, & quando certus tamen erat, alitem ibi vidiſſe, perſeveravit familiarem utique furem credere. Igitur triſti ſilentio, & minantibus oculis circumſpicit. Utque omnes conſternatos metu ſenſit, unius præſertim colore motus, cladem domûs denũtiat, ſi quis in eo eſculento fraudem porrò faceret. Sic eôdem redire janitorem jubet. Et nempe hic ipſus erat, qui ſibi illud de cœnâ apophoretum ſepoſuerat:

jámque territus, ne niſi afferre maturaret, facinus proderetur, Numidicam properanter, è fugâ reducit. Ultimum adhuc reſtabat de profuga bibonum gente ſpolium, vini opimiani cadus, quem inter lignorum ſtruem abſtruſerant; eum illinc peti, & ne Ceres ſine Baccho frigeret, inferri mandavit. At miniſter ſtrenuè obſecutus, ingentem amphoram tollit Sed oneri vires non ſuffecêre, donec fatigato janitor ſuppetias iit. Quibus ambobus ſub pondere anhelantibus; non potuit diutiùs pater familiâs, quin rupto fœdere exclamaret, ſatis jam ſuperque obſonii vel in pontificale epulum eſſe. Saturatus aliquando tot ferculorum prodigiis, de cętero quieſceret. Et verò alioquin jam ad mala uſque pervenerat, increpat tamen hominem oculis atrocibus adoleſcens: &, niſi tu, inquit, liberalitati huîc manum injeciſſes, iſthæc antecænia ſolùm haberes: fercula reliqua, & tragemata, tu ne totâ quidem dextrâ computares; tam ego & multa, & lauta appara ſſem. Nunc ſi famem abſolvere epulis certè his patrocinantibus non potes, linguæ intemperantiam accuſa. Dixit, & accubuit, ſervi miniſtrant muti & pallidi:

alliſi: quasque ſibi cupedias condîcant, ludente fortunâ, in alienam ingluviem cedere conſpicantur. Ferunt tamen, ac diſſimulant. Nec enim facere aliud promtum erat, niſi funeſtam habere noctem vellent.

Jugis interim omnes cura coquebat, quid tandem infelice ſcribâ fieret? quem neque domo emittere ſciebant, neque retinere, quin deprehenderetur. Et ipſe etiam ſcriba ſuam vicem mirè ſollicitus, in momenta infortunium expectabat, 40.

—pœnámq; luit formidine pœna.

Verùm & hanc denique rem eventa juverunt.

Fortè paterfamilias jam potulentus, ubi vidit tantum ſe artificem repetiſſe, ait pridem ſe periculosâ curioſitate attineri, videndi cacodœmonis; ſi quà citra noxam videri poſſet. Negat hoſpes, id legibus conceſſum: & rem eſſe plenam conſternationis. Ille depreſcatus terriculamentum; ſi humano, inquit, ſchemate os genius tartareum fallat, nihil viſu formidabile conſpiciemus. Orat proin' obſecratque ejus poſtulati gratiam fieri. Contra hæc diu a- 41.

doleſcens nec quicquam tergiverſatus, iniit feſtivi doli fallaciam. Compromittit honeſtis artibus, quæ poſtulentur, efficere. Caveret tamen ne quid præterea ſollicitaret; Nam id oſtentum, talium ſibi operum extremum fore. Prodit deinde in medium, ſermonéque Romano ampullatur; & ſcribæ pòſt lectulum latenti, in Polyphemi divertorium, inquit, incidiſti; ut Ulyſſes tibi opus ſit aliquis, cujus ſolertiâ evadas. Quem quidem habebis, ubi me auſcultaveris. Secundùm hæc prolixè oſtendit, quid facere eum velit, ut ſalvus ex anguſtiis eluctetur. Herus interea vecors mancipium, Stygio carmine infernum exciri hoſtem arbitratur. At ſcriba, Latini juris gnarus, & ingenio adoleſcentis hilaratus, ſubinde obtuſum remugit, quæq; præterea ſint agenda cognoſcit. Ut denique mimum integrè compoſuerunt; monuit herum hoſpes, jam ſibi præſens eſſet; erupturum ab intimo cubiculo monſtrum: videret etiam atque etiam, ne ſui oblitus, loqui aliquid ſuſciperet, cujus in proximo pæniteret. Ea præfatus, cæpit barbarico ſtridore hiare verba aulæum tragicum pandere, & Siparium ſcenicum explicare; neque adeò ipſe

ipſe, quid diceret, ſcire. Donec tempeſtivum ratus ſcriba, aliquamdiu in cubiculo tumultuatur, lectulúmque tremefacit.

Et crepitus Erebi, & Furias imitatur Averni:

foribus deinde impulſis, magno æſtu in diætam erumpit. Tum verò herus ſibi metuens,

Obtutu gelida ora premit; dubiúsq; per artus
Horror iit —

Verùm ille ter in orbem quatérque circumactus, & neſcio quid aliud geſticulatus, cum inſano fremitu ſe de triclinio ejecit: ac eodem deinceps impetu per ſcalas januámque in tutum evaſit. Ibi ferunt patremfamiliâs, ut ſe ex timore collegerit, exclamaſſe, nullum ſe, quoad vixerit, Cacodæmonem vidiſſe, qui Scribæ illi vicino magis genuinus, omniaq; tam ſimilis fuiſſet. Excepit hanc ANNII fabulam communis riſus. Ego lepidam credidi familiam, in quâ fortunæ liceret ità jocari.

UTOPIÆ DIDACI BEMARDINI.

LIBER QVARTVS.

1. *In campis animi causâ, abnoctant.*

DUm hæc Philippus, ventum eſt ad id diei, ubi jam veſperaverat. Monuit igitur, cogitandum de reditu ac domuitione. Nequaquam, ait Hugo, ſed, tam ſereno aëre, hîc tecum totam noctem perambulabimus. Nempe ubi nec eſt quòd cœnes, neque ubi cubes? inquit Philippus. Non cubandi, ſed ambulandi causâ huc conceſſimus, ait Hugo, &, quod præcipuum eſt, fabulandi. Hoc agamus, inquam ego, ſudum eſt cœlum, luna limpida, fabulæ pro cœnâ erunt. Etiam Hiſpana nobilitas, cum, ob diurnos calores, in campum & ſolem prodire moleſtia eſt, nocturnâ & aurâ, & ambulatione gaudet. Hic Philippus, quando ita jubetis, ait cœnæ privationem vobis imputate, frigidum prandiū mihi: nihil eſt ad manum, niſi quod de prandio reliquimus, non tamen ſine lactucâ,

Et vino, & ſale, & omnibus cachinnis.

Atque heus,

Miniſter veteli puer Falerni,
Inger mî calices amariores,
Vt lex Poſthumia iubet magiſtra.

Si vinum non deeſt, nihil deeſt, ait Hugo: vinum nunc eſt omnia. Hoc enim æſtivo tempore, magis potare juvat, quàm cænare. Mihi enim verò, inquiebam ego, ſatius eſt, Philippi reliquam fabulam, quàm Falernum haurire. Igitur quod cuique raptim in manus veniebat, id aut degulabat, aut exhauriebat. Moxque poſtea, Philippo medium locum tenente, cæpimus ambulare, Philippus autem inchoatum ſermonem ſic proſequi.

Eodem tempore audimus præter ædes illas, magnæ frequentiæ plauſum, & feſtam inſaniam ferri. Jubet illico Lucius conſiderari, ecquid ij vitulentur? Refert puer, nobilitatem à venatu, cum prædâ revenire. Hoc, inquit, eſt, quod dixeram, frater. Et ſanè oportet nos eòdem contendere; rémq; unam omnium ſtultiſſimam videre, quam ſcio molituros. Ita opiparè cænati conſurgimus; & cum grandi famulorum legione,

2. Fabulæ ſuperioris continuatio.

ne, ad STULTITIAE Circum properamus.

3. *Larvatorum agmen.* Commodùm ex ædibus LUCII evaſeramus, cùm ad proximam porticum delati, eos, de quibus audieramus, cachinnones conſpicamur. Sed, quòd extremum eorum agmen carpere non placebat, curſim per angiportum flectimus, atque loco opportunè capto, in frontem & latera, cæteróſque Moriæ ordines jucundiſſimo oculorum certamine pugnamus:

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraq́ centum,
Ferrea vox, omnes Lemurum comprendere formas,
Omnia monſtrorum percurrere nomina poſſim.

Præibat æneatorum globus & tympano heroicum ſtrepente, reliquam aciem hilarabat. Sparſi per omnia daduchi, conſpicuosquemque etiam in tenebris facere, & noctem laborabant funalibus exanimare. Ego proin' LUCIO, fallimur, inquam frater, an priſci moris nuptias videmus? Nam quorſum alioquin iſti? Et audin', ut Thalaſſium clamant extremi, ac Feſcenninis liberè tumultuan-

tuantur? Quid, quòd & choreas multi ducunt,

Et, longè ſuper imminente LVNA.
Colludunt hilares, & erudito
Calcatam quatiunt ſonore Terram?

Icit me molli cubito Lucius, meámque hominis peregrini ſimplicitatem riſit: &, nempe Stultitiam, inquit, non virginem duxerunt iſti, quam hoc falſæ lætitiæ choragio dignantur. Niſi tibi videor VTOPIOS hodie demum tenere; quos pridem ſcio, nunquam ità ſapuiſſe, quin Moriæ minerval aliquod deberent. Hos mihi jam ipſos vide; neminem illorum dices, Jovem eſſe, à cujus cerebro Palladem ſperes. 4. *Eorundẽ ſtultitia.*

Sub hæc LUCII verba, tres ſubeunt, mirâ proceritate juvenes: ora tenuibus larvæ membranulis mentiti; habitum cultúmque ſilveſtres, & pexos praſino colore villos induti. 5. *Satyriſci.*

Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat.

Titanas ego mihi videbar, & eorum reliquias videre,

Qui ter conati imponere Pelio Oſſan,

Ut cœlum expugnarent. At nos, inquam, ANNI, Aſtyanactes ſumus, quibus etiam ſpectare hos Hectoras metus eſt. Imò, inquit ANNIUS, formica fies, ubi iſtas Getuliæ belluas juxtim adſtabis. Viden' autem hîc tu illam barbæ umbram? illam Cygni plumam? illam pavi hujus caudam? hanc tot imaginum pompam? mentior, niſi hi omnes plus ſtultitiæ gerunt, quàm perſonæ. illi ſunt, inquam, ipſi, quos primo urbis aditu obvios videram; temulentos, & longo tunc intervallo à cæteris relictos. Nunc utique cum aliis redeunt, alteráq; ſiti novam ebrietatem quærunt.

6. *Venatores.* Ponè hos, conferti multorum greges ſuccedunt,

— operi dilecta iuventus,
Retia rara, plagæ; lato venabula ferro,
Denſatiq; ruunt equites, & odora canum vis.

Tum præterea unum video præ cæteris ſublimem in Elephanto vehi: cui aurea cęſaries in ſummos utrinque humeros defluebat; cum exuviæ leonis per tergum effuſæ, alterum mihi Herculem figurabant. Sed pòſt quàm pharetratum eſſe,

ſſe, atque ſiniſtra arcum vidi præten-
dere, cæpi laudare fidem ANNII mei, &
venationem, quâ de dixerat, recordari.

Avebam ergo cognoſcere, ecquam ii prædam ſecum reportarent; cùm, ecce tibi, quatuor Cappadoces extremo agmine conſequuntur; qui retibus implexum hominem ludibundi geſtant: Ruſticanum omnino, & à mortuo proximum; ſed quem tamen per decuſſati reticuli ſpatia facilè noſceremus, illum eſſe ipſum, cujus temulentiæ recens teſtis occurreram. Eam ergo nos prædam eſſe ſuſpicati, confeſtim adjungimur, 7. *Ebrius ruſticus pro fera captus.*

—cuneosq; per omnes
Vadimus haud dubium in riſum; mediaq; tenemus
Vrbis iter; nox atra cavâ circumvolat umbrâ.
Quis faciem illius noctis, quis ludicra fundo
Explicet?

Ibat interior mihi adoleſcens, quem LUCIUS, quod inermem videbat, audacter intuitus: &, potes tu, inquit, ut me ſtultitiæ hujus facias prudentiorem? Quam vobis, Diana feram ſubmiſit; aut cui 8. *Garrula reſponſio nulla reſponſio.*

cui macello crudeles hanc Aprugnam devovetis; Repentè ille, ut ſciremus poëtam eſſe, cæpit verſu translatitio rem omnem ſuprà repetere:

Pòſt, quàm altos (inquit) *ventum in montes, atq; invia luſtra,*
Ecce feræ ſaxi dejectæ vertice capræ
Decurrére jugis; aliâ de parte patentes
Transmittunt curſu campos, atque agmina cervi
Pulverulenta fugâ glomerant, montésq; relinquunt.

Inde alios de ſuo verſus addidit, perrexítque magnis aures ſtridoribus ferire: donec eum denique pertæſi, ac peſſimis modis ab illo multati, gratiam officio habuimus; rogavimúsque, ne moleſtus eſſe præterea ſibi vellet. Ità longo poëmate defuncti; nondum intellecto, quid fieret, abiimus: læti, quòd aures nobis aliquas reliquiſſet.

9. *Larvatus barba incendium infert.* Sed inde vix paſſus decem abſceſſeramus, cùm alius nobis occurrit juvenis

— *quem plurima circùm*
Nubila, & accitis velabat ſchemate tenebris;

Perq;

Perq́; oculos vix parva duos data ſemi-
ta. Tadam [illegible] *(lentis,*
Ille manu flammaq; gerens ſpiramen o-
Scrutari mediis aliquē de millibus unū
Viſus erat —

Hic talis poſtquam nos vidit, adverſus ſubſtitit; prætentámque facem per ſingulorum ora noſcitabundus duxit. Eam, ut incautior præter ANNII lanuginem tulit, mentum flammula corripuit. Quippe illi continuò

— *barba reluxit,*
Nidoremq; ambuſta dedit —

Hîc enimverò ANNIUS facti impatiens, ibat in improvidum Diogenem, & parabat barbulæ damnum pugno vindicare. Coërcuit furentem LUCIUS, &

Non venit in mentem(inquit)*quo-*
rum conſederis arvis;

qui tantulæ injuriæ gratiam huic Cynico facere non poſſis? Periimus unà omnes, niſi barbitium tuum impunè tibi ſinis arſiſſe. Ità ille quidem pugnam abſtinuit, ſed in atrociori vultu perſeveravit; donec alter, reductâ in frontem nebulâ, HERMIUM ſe confeſſus, veniam rogare, & incendij temeritatem purgare inſtitit.

Tum deinde ANNIUM, méque in- 10.
jectâ

Ebrius omni ludibrio obnoxius.

jectâ manu complexus, quid tandem inſanirent UTOPII, familiariter aperuit. Nam principem, inquit, juventutis noſtræ,

Quem GETVLA nigro vectabat bellua dorſo,

cepit lubido animi relaxandi. Ei quòd pleraq; ſe nobilitas adjunxerat, hic tantus TROSSULORUM comitatus evaſit; diémq; cum illo jam alterum in ſuburbanis vivariis luſit. Enimverò dum hodie convaſamus, atque ludicro Circenſi finem facimus; Paganum interim hominem à Baccho liberalius habitum videmus; ut qui arentis hepatis æſtum liquido meraco temperârat, & à Cereris areâ, incautiùs ad Lyæum diverterat. Is ſubter denſam quercum, letho quàm ſomno propior accubabat. Nos certatim alius ſuper alium irruimus; jamque in orbem circumfuſi alius pedem, alius capillum, alius aliud in ludo & joco vellicamus, quo feram expergeremus. Sed ut quicquid incipiebamus, fruſtra eſſe, hominémq; minimo minùs moveri vidimus, conſilium ſuffecit DORYLAS noſter, quò potum Endymionem ludos egregiè faceremus. Quare ignarum ſuiq; juxta ac noſtri oblitum, humo tollimus, & in

e in principem aulam hoc comitatu proſequimur; regem ibi dialem ex ruſtico daturi. Vos, ſi lubentia eſt, mecum in hæc Comitia venite: & veſtro item ſuffragio inſaniam coronate. Mentior, aut ſpectandi materiem habebimus, aut ridendi. Nos vero & libenter, inquit ANNIUS; quando municipes, hujus ſuffragii jus habemus.

Jamque adeò in Palatinis foribus eramus: ingredimur; nocte ipsâ, & audaciâ tuti. At Principe Juvenum in aulæ medium recepto, cùm priùs quid fieri ruſtico vellet, monuiſſet; undiq; omnes *II. Ruſtici in regem metamorphoſis.*

— dictis parere miniſtri
Certatim accelerant; vario ſtrepit icta tumultu
Regia: pars oſtro tenues auróq; ſonantes
Emunire toros, alióſque inferre tapetas:

pars diætam ornare; pars auri argentiq; pondera novo ludibrio afferre. Paucis; lectulus, cortinæ, cubile ambitione regiâ fucantur. Tum Paganus deniq; è plagarum ſandapilâ evolvitur, nondum crapulæ veterno liber: penula illi rudis, barbaraq; interula mutantur; dein cæteræ ruris ſordes & inficetiæ paul-

latim

latim detrahuntur. Coma omnis eleganti nodo ſupra caput adſtringitur; barba, quam nullam ante aluerat, noto artificio, per tenaciſſimi glutini viſcum ingens appenditur: facies reliqua peregrinis coloribus adulteratur. Ita ornatus in primæ fortunæ lectulo collocatur. Juxta hunc auratæ veſtes, & quicquid amicire Jovem; aut decere Junonem poſſet, deponitur. Jam annuli in digitis, jam armillæ in brachiis, jam cætera, quæ admirationem vel aſſueto facerent, ſupraq; infraque, omnibus locis deſtituuntur.

12. Compoſita ferme jam fabula videbatur, & natura quæ in proſcenium duceretur, niſi moram ſomnus & ebrietas injiceret. Quare nobiles ephebi duo negotium accepêre; qui per diſpoſitas januæ rimas viderent, quid illo ſubinde fieret; moxq; ut evigilaſſet, ſigno dato cæteros in rei ſpectaculum excirent. Ità iis ad excubias intentis, mirificè quædam nos Muſica tenuit; quæ tum ad Principis diœtam exiſtere, illique delicias facere, ac ſomnum juſſa eſt conciliare.

13. Verùm incidit ibi neſcio quid ridicu-
Muſica li, ut ſuavitas illa repentè ſe amitteret, Gal-

Galba erat inter alios quidam, non abſurdus ille Cantor, nec inſuavis; ſed ætate tamen ſenectâ, & quod conſequitur, caligine jam oculis infeſtâ. Huic aliquamdiu Muſicos colores ſcitè temperanti, noviſſimè non cicada, quod Eunomo, ſed muſca impudens illuſit: quæ fortè ſummâ in pagina reſidebat. Eam Galba non utiq; Muſcam, ſed Muſicam eſſe litteram rebatur; ac bene magnam, quæ duûm temporum vices impleret. Idcirco ſpiritu ingenti cepit miſer Pæana citare, contentaque voce immenſum vociferari. Hîc abſurdiſſimos modos cæteri mirati, confeſtim in Galbam iratis oculis vertuntur, nutúq; aſellum increpant. At ille nihilo magis remittit: quin potiùs numeros omnes ex præſcripto ſervare ſe oſtendens, digito locum aliis commonſtrat. Tum verò terreri Muſca & contactum refugere; Galba ſuum errorem videre, palámq; erubeſcere; cæteri ſimul omnes ſymphoniam in cachinnum mutare. Ita poſtquam Muſica omnis conticuit, alii quà cuique viſum eſt, abiêre; multis in vinum & pocula ruentibus, multis aleam & fritillos poſcentibus; nos cum Hermio paucisq; ſanioribus in intimos palatii receſſus abdi-

& Muſica malè quadrāt.

abdimur; ubi inſtructæ honeſtis cupediis menſæ, aut noctem nobis fallerent aut ſomnum properarent.

Fortè tabulam ibi Protogenis con-
14. *Imperfecta imago Herculis.* ſpexerat Lucius, in qua Herculis labores duodecim viſebantur; haud rudi opere adumbrati. Ille, ut eſt hujus elegantiæ curioſus, artem diu conſiderabat; itaque diſceſſit, ut manum pictoris vehementer probaret; etſi penicillo, inquit, felici unum quid defuit. Hermius admiratus, at ego, neminem, inquit, artificem vidi, qui aliud hîc deſideraret. Niſi tu novus hodie Apelles, acutiùs vides; præſertim ad lucernam. Quippini, inquit Lucius; quando & Sutor, in crepidâ damnavit Apellem: Oportebat autem & tertium decimum hîc laborem eſſe; quo lentes illum coquere Diogenes coegit. Opinor enim nuſquam alibi magis Herculem ſudaſſe.

Excipit eum riſu Hermius, & ſinite
15. *Herculis decimus tertius labor.* inquit, rem vobis lepidè ſtultam commemorate, neque ab hoc joco valde alienam. Menſe proximo priori hominem inviſi elegantem oppidò atque copioſum; quippe à quo rogatus fueram, foras cœnare. Erant in eo tam convivio lautitiæ multæ, apparatu tanto, ut oculos den-

denteſq; ambiguè invitarent. Ibidem ſiniſtrâ Juvenem aſſedi, propè literatum illum, nec ſuæ poëtices ignarum. Is ne aſymbolus videretur in eam cænam condixiſſe; Meas, inquit, ego partes, domi ad focum haud ſanè luculentum excoctas, hîc depromo;

— & ſemipaganus
Ad ſacra vatum carmen affero noſtrum.

injectáque manu in ſinum, renidentibus oculis membranas quincuplices educit: nobíſq; aventibus hoc Epigramma pridie à ſe factum, palàm legit. Quod vos jam ex pueri hujus memoriâ poteſtis repetere. Inde, ut puero innuit, puer, ſi recitandum eſt, inquit, oportet, ex Perſii præcepto, me priùs Plaſmate guttur colluere; quo liquidiorem voculam hauriatis. Dictóque citiùs calicem tollit, & omnem, Hermio apprecante, invergit. Tum deterſo oris humore ſic cæpit:

Nota ſibi CYNICUS dum luſtrat tecta CACHINNO,
Poſcit uti diram paupere lente famem:

Arida per vacuam circumfert or-
CVLINAM.
Si qua ſit ad CYNICAM viva fa-
villa dapem.
Hic gelidos horrere videt ſine torre
Penates,
Nulláque defuncto ligna parata
foco.
Auxilium rogat ergo Deos. Fortè
HERCVLIS illic
Stabat in excelſo lignea Forma
thole.
O bone, biſſenis (ait) *olim exercite*
monſtris,
LENS decimus debet tertius eſſe,
labor.
Diceris olim apros, olim viciſſe Leones,
Nunc etiam lentes vincere diſce
meas.
Et ſimul Alciden frigentibus admo-
vet ollis
Subjectóq; pedes Herculis igne cre-
mat
Illa focum flamma, illa cocum calefe-
cit & ollas,
Et Cynicas eadem denique flamma
Fabas.

Huic alterum ſubdidit.

Iam Nemæus erat ſublatus ab Hercu-
le terror;
Et

Et ferus Arcadicâ valle peremptus
Aper ;
Jam ſtabulis exhauſta ſuis infamia: &
hoſpes
A Diomedeis nemo timebat equis.
Nuſquam Cacus erat : Nuſquam Stym-
phalides ulla :
Et Stygiis nuſquam Cerberus in fo-
ribus.
Nullus Lernea reſtabat ſibilus Hydra ;
Heſperiis nullus iã Draco in excubiis :
Cum ſua Diogenes miſerando in prandia
voto,
Mollire admotas quæreret igne fabas.
Ligna tamen deerant ; quæ dum uſque
requirit & uſque,
Herculis emeriti lignea ſigna videt.
Præcipitansq; foco, nova ſubdit pabula
flammis ;
Hercule tũ lentes ſuppetiante coquit.
Omnibus in monſtris ſudaveris, inquit ;
in iſtâ
Te ſudare tamen plus ego lente puto.
LERNA quid ALCIDÆ ; quid cætera
monſtra dediſtis ?
CLARIOR à victis LENTIBVS ille
fuit.

Hæc hujusmodi carmina, ut ipſe le- *6. Poëtarũ*
viuſcula, nec ad PERSIUM eſſe cenſe-

ſibi invicem applaudẽtium paradigma. bat; ita plerique alii, digna, quæ ætatem ferrent, ſuſpexêre. Ego ut de meo ſenſu vobis confitear; exiſtimem, eum tunc adoleſcentem ementiri potuiſſe veteris Poëtæ nomen; idque factuŗum fuiſſe nullo nec ævi convitio, nec convivarum ſtomacho. Cùm proin' omnes in eo carmine laudando eſſemus, Cenæque dictator hanc coronidem ſermone patrio adjiceret; Nullum fuiſſe aliud nec ſuavius ferculum, nec elaboratius id dici menſis illatum, atque illud cultiſſimi Juvenis EPIGRAMMA: improviſo Julius ingreditur, Julii nepos, vir loco nobili, ac cætera omnia ſummus; Verùm qui apud Grammaticos nihil olim temporis perdidiſſet.

17. *Indoctorum abſurditas, Epigrãma ferculi loco apponere conantium.* Hunc talem virum extrema laudatio voxque EPIGRAMMATIS advertit, inter eſculenta meliuſcula laudati. Neque verò is negligendam gratæ gulæ cupedinem ducens, apud ſe ipſe ſtatuit, ſimul ut domum reveniſſet, experiri, ecquid domeſticus item coquus hanc cibi indolem pernoviſſet? inde omnibus comiter ſalutatis reque illâ, cujus agendæ venerat, effectâ, rurſus digreditur. Domi continuo arceſſi è culinâ magiſtrum jubet, atque, an coquere & ipse EPI-

GRAM-

GRAMMA nôrit! rogari. Hîc ſtupere coquus, & ad vocem peregrinam circumſpicere, nutúque ipſo civem ſe Romanum negare. At herus iratior, hominem nauci, ac frugis nullius inclamare, qui delicias paullò ante omnibus APICIIS laudatas neque ſibi inſtrueret unquam, neq; verò ipſe nôſſet. Die tamen craſtino aut facies, inquit, his EPIGRAMMATUM cupediis cænam, ad quam Tresviri noſtri promisêre; aut conditionem renuntiavi. Facile id verò eſt, ait coquus: dum ſciam ejus lautitiæ doctorem; qui uni verbulo rem monſtrârit, jubebo te ſine metu eſſe; jam EPIGRAMMA cœnaſti. Oſtendit ei herus, ubi ejus artis magiſtrum poſſit invenire. Coquus didiciſſe jam opinatus, ſummâ luce conſurgit, atque ad ædes illas artifices abit: famulos primùm omnes ſuper heri negotio rogat, Ecquod EPIGRAMMA coxiſſent? Negant ii, quà ſinguli, quà omnes. Adit ipſum inde patremfamilias, aitque cupere ſe, cum bonâ ejus veniâ cognoſcere, unde illud EPIGRAMMA venerit, cui convivæ pridie plauſiſſent: idque à quo coquo? ſuóne, an alieno ſciat apparatum? Imò inquit, à MANLIO, pernobili juvene,

& elegantiis omnibus apprimè docto. Coquus rectà ad illum; cui & rei adſit, oſtendit: rogat, eâ ne voluptate ſuum herum defraudet, ſed EPIGRAMMATIS ſui illius copiam faciat. Manlius, per verò inquit, libenter. Et confeſtim puero; heus verbero! huc calamum mihi, & chartam. Adeſt puer, calamus, charta: exſcribitur EPIGRAMMA, datur coquo, fertur domino. Ille, quod nihil horum expectaſſet, atroci vultu, & ſervum & chartam à ſe jubet faceſſere. Adeone deſpicatui ſe habeat trifurcifer, ut pro cibo ſchedam, pro EPIGRAMMATE Scripturam ſubornet! Reſpondit Coquus, aliud Manlium non dediſſe; ſed inibi omnem ſui EPIGRAMMATIS vim artémque comprehendi dixiſſe. Julius, qui Latinus non eſſet, arbitratur, modum coquendi EPIGRAMMATIS ibi doceri. Igitur, ecquid redis inquit, cúmque denuo rogas, ut in coràm hanc tibi artem explanet? Paret famulus; ad juvenem poſtliminiò redit; docet, accepiſſe herum ſchedulam, & eò gratias habere. Inſuper petere, ut diſertius eam ſibi diſciplinam tradat; quòd cogitet in proximam cœnam conſimile EPIGRAMMA convivis apponere. Quare, nî gra-

ſî grave ſit, paratum ſe eſſe, duobus verbis in præſens doceri: ac deinde rectâ ad culinam reverſum, ſuam in EPIGRAMMATE faciendo fortunam experiri. Hîc denique ſenſit Manlius, quid abſurdi ſtultitia ſomniaret! planéq; laurum eguit, quam riſui inhibendo morderet. Et cuperem, inquit, apprimè & hero, & famulo gratificari. Cæterùm in hâc re, quo minùs obſequar, video Apollinem, ejusque Muſas intercedere: quibus volentibus, non poſſunt hæc fercula extra culinam cerebri, nec niſi ad focum ingenii apparari. Addidit, prohiberi ſe, ne hæc arcana tam brevi omnia divulgaret, quæ ipſe ab ultimâ pueritiâ ad hoc ætatis vix tandem ſit aſſecutus. Hæc ut omnia retulit coquus, ferunt ſtomachosè Julium cum Apolline Muſisq; expoſtulaſſe; qui, ne rivales haberent, cæteris omnibus omnia voluptaria negaſſent. Nona interim appetebat, & cum eâ convivæ; apud quos idem ſub primum adventum de ſuâ infelicitate querebatur; & quàm optârit bene ſuos ſibi hoſpites accipere; ſi unum illud EPIGRAMMA per alienam malevolentiam nanciſci licuiſſet. Rem deinde, ut erat geſta, perſecutus, mirificè omnes delectavit: ut

illorum unus mihi dixerit, vel illud ipſum fuiſſe falſiſſimum Epigramma, coquum Epigramma facere voluiſſe.

18. *Clamori nocturno, in aulis parcendum.* Placuit in eâ fabula Hermius; ſed vidêre mihi tu, inquit ANNIUS, verbis his tuis, hoc nimirum agere, uti nos, rerum obliti, falerno tuo parcamus. Erras Hermi, Ego Scytha non ſum, qui fumo paſcar. Et dudum ardens barbula, affuſo cupit humore vindicari. Inde ſublato in Utopiorum ritum poculo, BENE ME, BENE TE, BENE VOS, inquit, omnes: hanc ego Bacchæi liquoris phialam à ſummo ad imum ambulare jubeo, indidémque potulentam ad me reveni-re. Sic dixit,

— & ocyus omnem
Gurgitis exhauſit vitrei bibo ſiccus Iacchum.
Tum puero dedit increpitans,

ut calicẽ rurſus vino coronaret meraco. Simul altiùs clamare omnes, & in gentis morem confuſo murmure noctẽ inquietare: niſi Dorylas levi ſibilo in tempore audientiam feciſſet. Nam delicatis auribus principem eſſe, & quem omnes noctis ſtrepitus excirent. Ejus adeò rei nî prohiberemus, poſſe exemplum

plum memorari. Reſpondimus omnes, id illum nobis volentibus facturum, ac mox erecti

Conticuêre omnes, intentique ora tenebant,

cùm ille ſic incepit.

Annus agitur ab illo jam anno tertius, quem mutua duorum ingenia fecêre inſignem. Fortè enim, 19. *Nocturni furis, & prope deprehēſi verſutia.*

Nox erat, & placidum carpebant feſſa ſoporem
Corpora per terras, ſilvaq; & ſæva quiêrant
Aequora; cùm medio volvuntur ſidera curſu,
Cùm tacet omnis ager;

aut, ſi nondum me tenetis: Noctis erat umbilicus, & ductis peſſulis fores ædiū omnes obſeratæ: cùm Principem noſtrum cura pervigil exercuit. Quippe ſubluſtri lunâ, per aulæ hujus inania deambulantem, ut ſæpe mos eſt, ac neſcio quid meditabundum, perculit è vicino ſonus: ſuſpectus ille quidem, ac furti væ molitionis index; is tamen unde accideret, non itidem liquebat. Hic homo, diutulè anceps, quænam veſtigia inſiſteret, ut indicium perſequeretur? Tan-

dem laneo inceſſu, ad ſuámet Cimelia quibus maximè timebat, intendit. In-erant in loco,

— avara
Pygmaliones, flavaq; micantia lamna
Vaſa, CORINTHIACO nil conceſſura metallo
Quicquid ERITHREO quæſitum eſt littore; quicquid
Barbarus Aſſyriis eduxit prædo fodinis:
Aut Sabulo ſi quid locuples confudit Iberi
Lympha TAGI: aut quales olim Romana lapillos
GELLIA dilectis potuit proponere Natis
Hos ea ferrato CIMELIA poſte SMARAGDOS
Anxia ſervabant, —

Eò loci nondum planè pervenerat:

Cum procul arcano ſubſiſtere limine cernit
Ignotum iuvenem, —

qui clavi adulterinâ in valvas inditâ Cimelium furtim emoliebatur. Nec temerè

merè id viſum; & furacem utique ſervulum credidit, qui injuſſus ærarium verrere parârit. Quare teſtudinem imitatus Princeps ſegniter lentéque ſe movebat, quo agnoſcere peculatorem, eíque manum proximus afferre; neq; tam ſanguine vernulam; quàm rubore poſſet multare. Verùm id ejus inceptum fruſtra erat. Nam, ut nuſquam ſecura eſt Perfidia, adoleſcens ſemper circumſpicere, & quovis crepitu conſternari. Donec ſenſit denique inſidias, vidítque Principem formicino gradu adrepere. Inde omnia confeſtim deſerere: jámq; eminus, ut conſiſteret, appellatus,

— nil tendere contrâ,
Sed celerare fugam in tenebras, & fidere nocti.

Ità raptim ex laqueis abiit & oculis, rectâque ad familiarem lectulum contendit. Pro elapsâ hominis prædâ, clavem venator in limine reperit, ac deſeratis jam foribus, ærarium videt propè undique expugnatum.

Certus igitur furti alieni; ſed ſui 21.
conſilii incertus, mirabatur, quâ aut veniſſet is Averruncus aut abiiſſet: quum nocte intempeſtâ, & omnibus palatii januis oppeſſulatis, nulli ne Sorici quidem

aut muſtelæ rimula pateret, quâ intrò
poſſet irrumpere: niſi & hi fortaſſe ve-
ſpertiliones alati jam eſſent, qui ſupra
tecta per impluvium involarent; & ace-
tabulis aurum cleperent. Poſtremò ſub-
iit, domeſticæ temeritatis facinus fuiſ-
ſe, nec irrupiſſe aliunde Lavernionem,
neqne aliquò evaſiſſe; partum intra fa-
miliam ſcelus, intra eandem & veſti-
gari poſſe. Porrò, quam ejus deprehen-
dendi rationem iniret, id ferme labo-
rabat. An quæſtionibus ergo domum,
inquit, omnem ſubjiciam? & ne ſonti
impunè ſit, etiam inſontes plectam? Sæ-
vum, nec mei ingenii conſilium: niſi
placet, dum ſcelus alienum punio, meũ
committere. Famulos potiùs in perſe-
quendam ſuſpendirii fugam excitabo?
Sed aderit inter omnes, etiam ille quem
quærent omnes; nec ullo illum argu-
mento furem oſtendam, qui ad furem
corripiendum accurret. Quid ergo? Pla-
cet ſceleris architectum dolo capere.
Nondum ſinet illum neque recens me-
tus, neque nefarii cæpti memoria quie-
tum eſſe. Quare, ſtertentibus cæteris,
quem vigilare præcipuè compererо; is
aut cogitâſſe mihi peculatum credetur;
aut ſuſpicioni opportuna materies ſiet.
Se-

Secundùm hæc circumit ſolus, ac 226 viritim omnium lectulos, quàm occultiſſimè poteſt, callidus explorator inviſit. Hîc miram ubique rerum confuſionem, & elegantem ſomni Rempub. habuit videre. Nam ad primæ ſtationis militem progreſſus, cùm ejus adhuc limini oberraret, ronchos nocturnæ fidei teſſeram agnovit, quos ille immanes trahebat. Senſit hunc ejus, puto Reipub. præconem eſſe, qui ronchis ſuis, velut pauſarius, ſive horas indicaret, ſive modum reliquæ familiæ ſtertendi præiret. Ità hunc Somni Tritonem ſonantior animæ meatus crimine abſolvit. Juxtà alter accubabat ſupinatâ cervice quadrupes: cui pili omnes plumantibus pennis horridi, ac ferreum olim pectinem fatigaturi: nares languidæ ac follicantes; os aëri reciprocando laxum, & pervium; quo ſpiritus reflabatur, ità calidus ut VULCANIAM; ità validus, ut AEOLIAM ſubeſſe crederes, unde iſtiusmodi procellæ erumperent. Erant denique ea ſomni indicia, ut annũ dormîſſe jam pecus videretur. Quare eo intacto, clam ad tertia caſtra proceditur. Ibi propter collocatum hominis vivi cadaver gratioſa ſupellex viſitur:

ſitur: Cantharus ad dimidium exhauſtus;& vini cirnea, nunc in vappam degenerantis. Sacrum cogitaſſes novendial inſtaurari;& in vetuſto capulo feralem Silicernii cœnam poni. Exporrigebat extra lectuli centonem rigidos pedes Endimion: in quos temerè illapſus explorator, grabatum omne ſuccuſſit. Mortuum excitare is fragor potuiſſet; at pecudem altiùs ſopivit. Nec viſum ibi fuit, aliud dormientis indicium expectare. Jam proximum erat, alterum atque alterum cubile, inde aliud ex alio adire; & ſicubi ſuſpectæ quietis argumentum foret, admotâ manu, ſubſultantium præcordiorum fidem implorare. Hîc longum mihi ſit negotium, ſingulos ejus quæſtionis ludos dicere. Nam fuit ſubinde, qui vertigine ſomni circumactus, verſis ad pulvinum plantis, cervicem in imâ lecticâ merſaret, fuit, qui ſua nocti ſomnia prodere, ſcenámque umbratilem adornare dormiens audiebatur. Alibi menſa erat, lectiſſimis rebus inſtructa. Quippe lapilli per alveolos ſparſi,& par teſſerarum, & picti luſorio ſchemate libelli turbidè jacebant; quæ omnia haud graves vigilantis cubiculi curas loquebantur. Alibi de-

dejectam tegetem ſomnolenta jacentis manus identidem affectabat; nequicquam cupida amiſſum teporem colligere. Demum ea patebant ubique ſpectacula, ut facilè ſcires, te in Utopiâ eſſe.

In hoc inertiæ theatro, cubiculum noviſſimè quoddam, ſitit omnem Principis curioſitatem. Ibi adoleſcens unus quieſcens imaginem haud faberrimè cælatam exhibebat. Senſit continuò illum fallaci nebulâ oculos ſepſiſſe, ſomnúmque adulterinis ronchis mentiri, *& incaſſum vigilanti ſtertere naſo.* 23.

Cautâ igitur manu ſimulatam hominis malaciam eludere, & ex tumultuantis pectoris æſtu, inquietem animum aggreditur ſcrutari. Nec fefellit ſagax dextera. Et nempe is erat, qui nocturnâ molitione januam conatus effringere; ac recẽti adhuc facinore perturbatus, ſomnum adeò nullum capiebat, ut ne fingere quidem jam poſſet. Lætus invento ſcelere Princeps, hoc porrò angebatur, quî lupum utrâque aure complexus, tutò à ſe dimitteret. Neque enim

Clara per obverſas intrabat luna feneſtras,
Ut habitum oris liceret dignoſcere, fu-

rémque quis eſſet, ſcire: neque etiam vim id noctis afferre placebat, ei quem ingenio vadari mallet. Pro conſultiſſimo habuit, frontem ei litteratam faceret, aut aliâ notâ tenebrionem dignorare, quâ in poſteri diei vadimonium cogeretur. Et erat familia tùm omnis capillata; anteventulis cirrhis pleramque frontem inumbrati. Hunc opinatus laqueum ſe inveniſſe, quo fur in lucem vel invitus traheretur; primi ſincipitis cincinnum ſtrictim uſque attondit; & inhonoro vulnere capillamentum ultus; nihil ſe ſe reliquiſſe judicavit, quo tegi furtum præterea poſſet. Itaque rebus ex ſententiâ geſtis abit; & quod reliquum noctis erat, ſomno permittit, indicii ſecurus.

24 At juvenis teneri ſe intelligens,

Iam nigra furva regna Proſerpina
Et iudicantem credidit Aeacum,

ſuíque eſurientem Cerberum videre. Experiri manu voluit, ecquod hoſti negotium in capillis fuerit? hîc magnâ clade omnem eſſe Cæſariem afflictam, atque inter lectuli centones, paſſim ſtrata pilorum funera cognoſcit. Quare territus, altùm

Exi-

Exiluit; ſaltûque iterum defectus in ipſo.
Semianimis medio concidit umbra ſolo.
Vtq; reſurrexit fœdatus pulvere turpi,
Et ſua de gelidâ membra levavit humo,
Non minùs ingemuit, quàm ſi rea turba videret,
Flebile carnifices in caput ire manus.

Et nempe hoc mihi ſtipendium, inquit, numerabitur, quando cras ex meis virtutibus ornatus pendebo? Miſerum me? Quid optimi parentes? quid amantiſſimi dicent Sodales? quo illos ego vultu? quo illi me cras inter patibularios videbunt? non videbunt. Pudore priùs, quàm laqueo ſtrangulabor. Aut certè ne ad necis infamiam publicè trahar, carnificem hîc meum antevertam. Quid enim?

Vſque adeóne mori miſerum eſt? vos ô mihi manes
Eſte boni. Me me morientem hac umbra videbit.

Ac mox cinguli ſerico gulam induit, ſeſéque nodo informi, de ferreo claviculo ſuſpendit. Inſultaſſe jam vitæ, ac viciſſe for-

fortunæ cachinnos videbatur; cùm repentè, clavus injuſto pondere victus, humi eum deſtituit, viveréque denuo vel invitum coëgit. Ergóne is ſum, cui uni nec mori hodie, nec vivere cras licebit? Aut quæ demum infelicitas eſt, quòd & ſupplicia mihi ſe negent. Atqui ego mihi conſciſcere

Si nequit mortem diruptis reſtibus ullum,
Nonne patent altæ caligantéſq; feneſtræ,

Per quas præceps eam? faciam hoc morti convicium; ne cras ſublimè pendeam, de ſublimi nunc labar. Captóque in feneſtram impetu, deſilire amens properabat; cùm decuſſatæ valvarum crates obſtitere: in quas adeò caput offenderat, ut ſupinus humi applauderetur. Doluit illi arietationis infelix rudimentum; exemítque libidinem, ejus inſaniæ porro experiendæ. Cœpit deinde cogitare, quemadmodum pugione jugulum hauriret, perque unum vulnus manu ſe mitteret. Nec deerat conſilio audacia; donec nudato mucrone cutem fortè aperuit? aciéque mox inhibitâ; Quid ſi etiam, vitam, inquit, abjicio, num infamiâ meum cadaver liberabo?

an melius hanc tonſi verticis contumeliam celabo mortuus, quàm vivus? Quid igitur agam? ne mors quidẽ exorari jam poteſt, quæ rebus meis advocationem promittat. Judicium aufugere jam non poſſum; & vadimonium tamen obire, eſt Rhadamanti forum, & Minois tribunal, & Aeaci urnas quærere. Nimirum huic reſtat malo præſidium; ut aut Principi cras ſupplex fiã, aut Carnifici. Quid tu ais, miſer? Ergóne alterutri? Ergóne aut veniam furti rogabo; aut patibulum expectabo? Prô dedecus meum. Quin incipis hiatu terra me haurire? Quin domus ruinâ me tegere? Quin iratum etiam innocentibus fulmen plectere? Dixit hæc impotenti affectu; atque ſubinde externatâ mente rurſus

Concidit, abruptisq́ immutuit ore loquelis.

Pòſt igitur quàm vana querelarum tempeſtas aliquando detonuit, accepit cogitãdi ſpacium; homo cæteroqui non brutus, atque ingenio ſæpe ſimilia eluctatus. Quid enim, ſi quo, inquit, artificio petitus ſum, eodem eludam? Inſtituit proinde ingenii delectum habere, omnéſque artes ſuas ad ſigna vocare. Venit primò in mentem, morbum cau-

cauſari: hominûmque conſpectu vitato, moram crinibus adoleſcendi concedere. Verùm hæc, inquit, ſtultitia eſt manifeſtaria. Tanquam non ſoleant continuò & medici accurrere, & Sodales adire, & Princeps inviſere; quibus nullis clàm habebo inhoneſtam cicatricem. Capillamentum ergò mihi omne adradam, factíque vulneris evanidum veſtigium errore confundam; At hoc quid erit aliud, quàm ſeipſum novis ſuſpicionibus proſcribere? Potiùs in pedes me conjiciam & voluntario quodam exilio flagitium luam? Sed quâ evades amens? Nimirum januis undiq; obſeratis cuniculos ages, quibus in libertatem erepas? Diluculò imò, ſimul ac Aula patuerit, erumpam. An tu autem tam vecordem eſſe Principem putas, ut recludi priùs aliquid ſinat, quàm furem teneat; Certè autem ſtultitiam aſſimulabo. Neque enim emotæ menti dicam licebit ſcribere: aut quis olim amẽtiam in patibulo finxit? multa ſimilia peccat inſanus. Aliquis parentem violentus occidit, & patricidii defenſionem, inſaniam habuit. Mater alia gulam infantis obliſit; liberos alia ſuos etiam voravit. Nonnemo penatibus flam-

flammas ſubdidit, magnóque incendio patriam fædavit: quos omnes ingentium facinorũ compertos amentia abſolvit. Credar & ego aliquid horum certiùs feciſſe; quis damnabit? Placuit hoc proin juveni conſilium; cæpítque mimum in poſteri diei theatrum componere; quemadmodum mox ſeminudus ac lacer palatium perambularet; claváque in humeros elatâ perſonam ſibi faceret. Ad hæc verba emeditatus, quibus ridiculus eſſet; fallere ſe poſſe confidebat. Verùm hanc omnem fabricam una mox cogitatio evertit. Nam, cui hanc inquit, ſtultitiam probabo; niſi me ipſo ſtultiori? Quis inſanus ſcienter rectéque Cimelium aggrederetur? quis deprehenſus tam cautè diffugeret; quis quæſitus demum tam callidè ſomnum objiceret? Hæc argumenta teſtimonium pro amentiâ non dicunt. Quàm igitur imperitus ſim oportet, qui ne inſanire quidem jam poſſim? aliquid ſapientiùs quærat eſt neceſſe, cui ſtultitia nil patrocinatur.

Quid ergo? An ne hoc expediet, quod jam denique ſubit? Expediet. Sed conſulenda nimirum eſt audacia mea, utrum confieri id poſſit. Et verè po- 26.

teſt

teſt. Aut enim unà mecum omnes in ſuſpicionem criminis vocabo; aut unà cum omnibus etiam mémet explicabo. Inde confeſtim erectior, in ſpem venit Principis fallendi. Capto proin' conſilio, armat idoneo telo manus ac per ſingula contubernia furtim circumit, ſcrisque dexterrimè emunitis,

Nunc, ait, audendum eſt dextrâ, nunc ipſa vocat res:
Hàc iter eſt.

Et cum dicto,

— Superbum
Rhamnetem aggreditur; qui fortè tapetibus altis
Extructus, toto proflabat pectore ſomnos.

Deinde, ut quemque opportunum injuriæ ſopor fecit, eum clanculò primoribus cincinnis exſpoliat; vaſtatóque ſincipite ſupparem ſibi relinquit. Inde alterum, inde tertium, denique ex ordine alios

Obruit, ac cunctam in medio, ſine nomine plebem,
Fadúmq; Hebeſúmq; ſubit, Rhacúmq; Abarímq;
Ignaros —

Ità poſtquam omnes capite cenſos effecit,

fecit, lectulum antelució repetere, atque largiter de cętero inſtitit dormire; omnibus animi mœroribus deterſis; ipſe jam diei appetens, quò feſtivi doli illecebra in lucem prodiret.

Anni ſpacium interim videbatur, dum auroræ crepuſculum opperitur Princeps. Quare ut primùm 17.

—criſtatæ ſonuêre volucres,
Vicinaq; dies ſenſit præſagia lucis,

datur negotium ne priùs regia patefiat, quàm omnes palatini unam in diætam coacti, coram cenſore traducantur. Nec enim ambigebat is Cenſor, quin eſſet reperturus, quem poſſet, equo vendito, in patibularios referre. Factum gnaviter, quod jubebatur. Circumſtant illicò in orbem lectæ juvenum adoleſcentûmq; legiones; ſuóq; imperatori præſtolantur. Ingreditur Imperator, atque cupientibus oculis, ſicubi demeſſi crinis ſtipulas contueatur, intentus; videt ad unum omnes: velut ex compoſito res agatur, depiles eſſe, truncatíſq; æqualiter cincinnis, furti indicium confudiſſe. Attonitus primùm inſperato miraculo, quid fieret conſiderabat. Senſitq; ſuis ſe artibus falsè eluſum. Et ipſa etiam familia, ut alterum alter aſpexêre, vehe-

hementer obſtrepuit, ignara quis hoſtis prædam è capillis egiſſet. Cæpêre deinde famuli quidem rei ſpectaculo, at Princeps furis ingenio delectâri; palámque ira in riſum ire. Noſcere tamen auctorem geſtiebant; promiſsáq; ſceleri impunitas eſt, ſi ſe ipſe ſuúmque dolum artifex aperuiſſet. Licuit invitare, licuit promittere; neminem tamen neq; venia, neque munera pellexêre, qui ſe ipſe deferret. Schedam tantummodo repertam pòſt ajunt, ubi denarrato doli commento ſe auctor purgat, quòd maluerit nunquam ſe prodere, quàm proditus veniam rogare. Nolle ſe ingenii laudem id temporis mercari: Solere magnos artifices parem invidiam trahere: tutius videri, ſi latéret, quàm ut è ſublimi conſpicuus, omnium in ſe oculos converteret. Ad extremum, alta & illuſtria ſe nec aliis invidere, nec ſibi ambire.

28. *Aurea Neronis cœnatio.*

Dum hæc DORYPAS taliáque pluſcula non infacetè garrit, nos temporis noctíſq; obliti, videmus diem lucémque ſe appellere, & magnis continuò incrementis per omnem regiam explicare. Ego LYCIO meo tum denique dormiturienti. Quid hoc eſt inquam, an inter-

diu

diu dormiunt UTOPII tui? Nam noctu, quod video, comeſſantur. Planè, inquit: & hanc metamophoſin à NERONIS popinâ traximus, cùm auream ejus cœnationem, cœliq; æmulam domum contemplaremur. De quâ, ſi Tranquillum tenuiſti, & mecum tu puerum audi; cui necdum licet aliud, quàm divinè loqui. Simul nutu in puerum conjecto, repentè coëgit poëtam eſſe. Nam is, quod ſe ad omnia heri ſenſa advertere conſuêrat, ſic ludibundus cœpit:

Ebria potantem, qua viderat aula Neronem,
Trinacrii retulit vitrea monſtra Senis,
Aurea nam volucri decurrit Machina tecto,
Et tereti poſitas circumit orbe dapes.
Sub pede gemma volat, laqueará; trabesque rotantur,
Aſſiduóq; fugit mobilis aula gradu.
Hic nova vicinas transcurrunt ſidera menſas,
Hîc ridet madidos æmula LVNA toros.
Murrhináq; armatus iam pocula terret ORION

COR-

GORGONIASq; timent Sigmata pota comas,
Scorpio quæſitis tam proximus incubat eſcis;
Et ſuper intactos præterit HYDRA cibos,
Mentitusq; fugit per gemmea fercula PHOEBVS,
Et facit alternam, præcipitátque diem,
Nemo ſed auratâ diſcumbere geſtiit aula;
AVREO enim in tecto FERREVS hoſpes erat.

19. *Antiqui luxus imitatio.* Interpellavit ingeniolum pueri furorem Lucrius, juſſitque aliis pedibus numerum inſtruere; quo reliqua liberiùs inſaniret. Puer ad omnia promptus, vix expectato imperio, ità perrexit poëtari:

Negotioſas qui NERONIS in noctes,
Et otioſas ire vultis in luces,
Adite noſtras. Qui NERONEM habebamus
Olim Magiſtrum, nunc redire ſi poſſit
Inde, unde poſſe redire pernegant quemquam,
Diſcipulum habebimus. Specimẽ dari vultis?
Iã vos dediſtis ſæpius & daturi eſtis.

Non

Non tulit porrò DORYLAS notiſſimam pueri dicacitatem, ſed colapho ibat objurgatum licentiam. Quanquam is modico flexu pugnum evitavit; & majori cachinno, omnem eorum dierum ſcenam apud UTOPIOS produxit; uſque eò, ut ilia nobis riſu diſtenderit, vel invitis.

30 Inter illiuſmodi hiſtrionicos luſus, advolat ephebus, duorum alter, quos in ſpeculâ collocatos diximus: nuntiat is paganum evigilaſſe, & mirè quàm ridiculos ſecum geſtus edere. Nos alacres unà omnes exſilimus, ac turmatim ad Mimicum Stertimij theatrum accurrimus. Videmus undique omnes cubiculi aditus obſideri; & alios quidem per faciſcentium aſſerum rimulas ſuam curioſitatem exſatiare: alios aurium voluptate contentos, eminus, quid ſecum ipſe ineptiret, auſcultare. Equidem in SURIAE familiam adoptatus, felix mihi videbar, qui oculis etiam meis aliquid participarem. Nam ut proximè tapetas aberam, quibus janua prætexebatur, cernebam, quàm parum ſe in pellucenti regiâ plebeius animus caperet. Et ille quidem cùm crapulam prioris ingluviei omnem edormiſſet, circumtulit à gravi

Ruſtici ſe ipſum non agnoſcentis ſcena.

veternō caligantes oculos: útq; primè inſperatum cubiculi nitorem ſenſit, non jam meraco, ſed miraculo ebrius, cœpit digito indice glaucomam, ſi qua oculis hæreret, detergere: ac rurſus circumſpicere: Videt eadem omnia rurſum; videt tertium. Territus reſedit; advertítque in lecto ſe cubare;

- - - namq; ipſe ſuperbis
Fulgebat ſtratis ſoliq; effultus eburno.

Etiam hîc ſuam oculis fidem abnuit; & ſollicitâ manu toralia contrectat: Ea de COA ſyndone: cortynas prehenſat; eæ de Tyrio murice: conopæum affectat, id de argenteo ſtamine. Igitur vertigine jam ſecum agi omnia ratus, lecticæ ſpondam corripit, ſeſéque adverſus ruinam timidis manibus armat. Interim ſupinus lacunar ſuſpicit; Aurum eſt; Parietis tabulatum reſpicit, Ebur eſt. Pavimentum deſpicit;

Hîc reperit nec opinus opes. Nam ſplendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aëra teſta
Monſtravêre ſolum. Varias ibi picta per artes
Gaudet humus; ſuberantq; novis ASAROTA figuris,

Ex-

Exclamaſſet dudum, niſi vocem omnem in miraculum abſumpſiſſet. Quocunque ſe rudis oculus vertit, paſſim offendit.

Auratáſq; trabes, & Mauros undiq; poſtes,
Et picturatâ luculentia marmora vena,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas,
Aut artes, veterúmq; manus.

Hîc ille, quid ergo? inquit: ubi me terrarum fortuna locaſti? Hæccine mea eſt umbra, quam heri

... patula recubans ſub tegmine quercûs

mihimet captaveram? An fortè adhuc temulentus, quicquid deliro, videre me credo? At enim certè vigilo, neque me Morphei aliquod ſimulacrum ludificatur. Iterúmque manus ad nebulam oculorum dimovendam admovens, videt indutos annulis digitos; & in relucente palâ gemmam rutilare, utrumque brachiũ armillis vinciri, corpus denique totum nihil veteris fortunæ ſuæ agnoſcere. Eò cæpit cogitare, alium utiq; ſe factum, nec jam ſeipſum eſſe, quando fruſtra ſuam domus humilitatem, & le- 32.

ctulus tegetem, & manus quæreret paupertatem. Ita ſtupidus metu, ſuam in adverſi marmoris luce faciem conſpicatur; ac diu alienam ratus, quod & barba indidem promiſſa & adſtrictus verticis nodus apparebat; quò neutro ſymbolo inſignem ſe meminerat: tamen ubi neminem adeſſe alium vidit, cujus ejus imago eſſet; quid ſi, inquit & vultus ſe meus mecum amiſit? Simul dextrâ aggreditur verticem ſcrutari. Hîc ecce tibi,

Intorto cirrhata comæ ſtetit area nodo

Pergit exinde, ſiniſtrâ mulcente, mentum (quod glabrum antea, vulsúmque fuerat) deſtringere: at ibi

Barba repentinâ ſtet formidabilis umbra:
Horror ineſt mento, & denſa fruticantia ſilva
Mania; barbaricis ægrè penetranda Sariſſis.

Tum ille pallidior buxo, jam demum, inquit, calamitas me totum triumphaſti, & nihil mihi de toto me reliquum feciſti. Quin lubet tamen cubitu ſurgere; &, quando egomémet ignoro, experiri, ecquid uxor mea me, ecquid liberi, & ſervi adhuc alibi nôrint? Nec diſtulit cen-

centones ruſticanos, ac mendicantis fortunæ exuvias quærere, id eſt, rudem ſubuculam, & Veneti coloris ſagulum: tum craſſæ ſolocis femoralia; tum follicantes ocreas; tum reliquum deinde ornatum, quo pridiè ſorduerat. Sed eorum vicem, veſtes reperit holobatas, & de Attalicâ telâ thoracem, & de Serum vellere, textóque tibialia: & laborati tergoris crepidas, & torquem aureum, regiæ cervicis ſpolium.

Hîc jam ne expectate, quid porrò egerit? Quicquid potuerunt vel ineptire ſomnia, vel fabricare inſania, vel delirare temulentia, id omne promiſcuè factum. Ingens interim nobis voluptas erat, qui illos ROSCII geſtus ſpectabamus, doctiq; omnes quid facere quemque oporteret, ſi res poſceret; audimus repentè clamantem, tanquam Tranionem, ſervulum, puto, ruteſtrem aliquid vellet. Ad clamorem illicò ephebi quatuor, quibus id negotium erat, ingrediuntur, compoſitis verbis, atque eleganti manuum baſiatione, REGEM ſuum Principémq; conſalutant: nihil mimicarum rerum omittunt. Alius interulæ ſindonem corpore inijcere, alius ſerici mollitiem in amictum ſufficere, alius 32. *Aulicorum ruſticos ſublinentium cæremonia.*

crura tibiáſque textis induviis ornare, alius Mileſias pedibus crepidas aptare. Rurſum hîc pollubrum ac naſiternam de argento ſupponere, ille aquulam de redolenti cinnamomo affundere: jam iſte linteum terſui, ille pectinem frictui, ille ſpeculum viſui obijcere.

Mutus inter tot obſequia Ruſticus,
33. identidem cogitabat, quid ſibi eleganetiæ novæ inſolentia vellet? Amœna veterum Tempe, & Elyſij nemoris umbras has eſſe, nec niſi cœleſtes utique genios videri, quibus tanta oris gratia ſpiraret: quique homuncioni ſordido tam amicam vim afferrent. Quanquam ut eorum unus & torquem collo parabat imponere, jam moriendum ſibi miſer, atque ab aureo fune pendendum ratus, trepidè cæpit eorum fidem obteſtari. Et, quæſo vos, inquit, mi hoſpites, quin hoc ſaltem agitis priùs, & ubi me amiſerim, monetis? Nam ego, quin moriar, ſi merui, nil cauſſabor. Cæterum quis me huc error egerit, id affligor. Et vigilans equidem à furto me ſemper abſtinui, ne quà res mihi cum laqueo foret. Nunc ſi adhuc dormio, & aliquem per inſomnia depeculatus ſum, tantiſper hanc furcam omittite, dum expergeſiam. Excipiunt

ij, prohibéntq; loqui, quæ ſe digna non ſint, Regem enim Principémque ſuum eſſe, cui more veteri, operam matutinam locare, & in cubiculo apparere conſuêrint. Rurſum ille, ſe imò MENALCAM paganum eſſe; &, ne errarent, obſcuris parentibus natũ, ac clientelaris fundi, pauperiſque agelli dominum. Elevare hæc illi, & abnuentem, magnis mendaciis obruere. Utiq; aut ſomnium aliquod fuiſſe, quod regiam mentem ſubitò perculerit; aut curarum magnitudine, animum humani aliquid paſſum, à ſeipſo pauliſper abijſſe. Nam recordaretur, quid pridie, & quàm ſapienter egiſſet? Roganti, quidnam fuerit? Cùm tu mihi, inquit unus, mille philippicos, atq; huic torquem aureum, atque iſti equum Perſam, atque iſti indigenam donaſti? Negat MENALCAS meminiſſe, Etſi jam video, inquit, quàm inſanierim, qui vobis quidquam horum donârim. Vos proinde, qui ſciatis, inſanos donare nil poſſe, res mihi illas reddite. Illi pridiè imò ſapuiſſe, & tum demum deliramenta loqui, contendere. Neque enim aut inſanos aliquid donare, aut ſanos conſuêſſe repetere. Aſſideret igitur in regiæ fortunæ ſellâ, ſuóſque ægre

Machaônas opperiretur, qui morbum animi medicarentur.

34. *Medicos ſe mentientium mendacia.* Abit illicò puer, ac brevi cum grandi hominum exercitu revertit, quos omnes medicos mentitur. Adeunt ſolliciti, circumſtant venerabundi, ac manus oſculo priùs adoratas alius capiti applicat, alius thorace diſſibulato pectus examinat; hic lævis brachij venam explorare, ille colorem oris judicare, nemo non aliquid agere, ſimulat. Secundùm ea, collatis capitibus, conſenſu pronuntiant; Sanguinem immodico corporis æſtu fervefactum, eas capitis turbas concire, ut ſui oblitus, alium ſe eſſe Princeps opinetur. Quanquam Clemens adhuc ea ſit inſania. Quin mirum non fore, ſi animus ſanguine ſic ebulliente, etiam abſurdiora deliraret. Facilè tamen ei malo remedium fore, ſi vel unum diem genialiter agere, & lætitiis lautitiiſque operatus, mæſtitunem hanc ex pectore conaretur exſpuere: Redituram non multò pòſt mentem; ac turbelæ omnis faſcina fugitura. Ruſtico ad hæc, neſcio quid ſtupente, imperant illi alia aliáque illecebrarum genera diſponi, quæ ſint animo excitando. Continuò contenditur,

pro-

properatur, curritur: dicto citiùs omnia confiunt. Et ſua jatraliptæ unguina, & pharmacopolæ ecligmata, & aromatarij embammata omnes maturant. Crederes totum Coſmi ahenum in unius inſaniam conſumi. Jubent iidem & muſicam ſonare, ſed eam, quæ ORPHEUM extinguere, AMPHIONEM vincere, ARIONEM poſſit triumphare. Prodeunt repentè multi, & liquido gutture, & tinnulo pectine, & melleo carmine hi voces promere, hi fides tendere, hi barbiton plectere certatim inceptant. Pocuit ad ejuſmodi contentionem allubeſcere etiam ineruditis auribus. Et Ruſticus veterem MELIBAEI fiſtulam pertæſus, rogat, an ſemper hoc ſoleat? aiunt. Enimverò quotidie, cúmque vehementer ſolitum delectari. Miranti dein', qui ergo fieret, quòd non eadem commeminiſſet? Nimirum hoc, inquiunt, morbo huic ingenium eſt, ut

Priſtina Letheis omnia mergat aquis.

Nam quid ego memorem, Virbio nuper meo vicino accidiſſe? quem unius heminæ mulſum ità corruperat, ut biduo ſe putârit ἀκέφαλον eſſe. Circumitat miſerabilis, péique omnes æ- 35. *Inſanus caput ſuum quærens.*

 dium

dium angulos ſuum ipſe caput quæritabat. Vidimus ipſi illum per & compita, & fora, & urbem percurſare, à notis, ignotis, flentem petere, ut ſuum ſibi caput monſtrarent. Ridentibus aliis lepidam quæſtionem, ſapientiores, qui morbi vim cognoſcerent, miſerabantur. Et ſi qui tacto ejus capite, rogabant, & quid ergo id eſſet, quod manibus contingerent? reſpondit aliàs, columbarium, aliàs muſcarum gurguſtiolum eſſe. Hanc tamen homini ſtultitiam eximimus, poſtquam licuit

--- mediam pertundere venam,

& ſanguine deducto, inſaniam exarmare. Vivit hodiéque, & Senator, civitatem optimis conſiliis tuetur. Atque hunc quidem Bacchus, alium quendam ſomnus, alium alia cauſſa uſque ad ſtultitiam ridiculum fecit. Hanc unus aliquis recenſere fabulam deſierat, cùm continuò ſic alius incepit.

36. *Inſanorũ muſica & intemperia curata.* Haud multò plus decennium eſt, cùm adoleſcentem vidi probè litteratum: quem ſive ſtudium vehemens, ſive bilis atræ intemperies ludis mirificis perturbârat. Is aliquamdiu coaxare in cerebro ranas, aliquando clauſas in oculis

culis muſtelas incubare; jam hirundines in naribus, jam ſcarabæos in auribus nidulari: jam ſtultiora his credere, diceréque perſeverabat. Negare interim amici, magníſque rationibus contendere, fabricari Chimæras illas in cerebri vivario non poſſe: hortari, ut ſaniora vellet, neque tam immania delirando, ſe ipſe occideret. Nihiloſecius tamen ille

Talia perſtabat memorans, fixúſque manebat.

Senſit prudens medicus violentiam morbi eſſe, & fallaciâ medicandam. Igitur ſplenium oculis opponit, aures naréſque tutundis farcit, caput totum pittacio munit, jubétque ægrum lectulo aliquamdiu tenere. Interim ille res quas volebat, diſponit, & mox emplaſtro undique revulſo, hîc ſtrata murium ranarúmque funera, hîc ſcarabæorum hirundinúmque cadavera oſtendit. Ita venatu, aucupióque perfunctus, alteri ingenium reſtituiſſe jam videbatur.

At adoleſcens, poſtquam Herculem animadvertit, qui tot capitis monſtra expugnaſſet, adhuc cum uno ajebat ſe grandiori malo cõflictari, nam 37. *Alia inſani cura.*

in ventris umbilico, novæ magnitudi-nis teſtas, ollarúmque & urceorum frag-mina circumferre: quæ quidem eniti miſer non poſſet, quantumvis parturi-ret. Hîc iterum cæteris cum riſu ab-nuentibus, ſolus, quem dixi, medicus, ſeriùm tueri, & in venæ tenorem trepi-dus inquirere inſtitit. Inde exercitato vultu ad circumſtantes, rem eſſe, quam æger diceret, aſſeverat: latere multas utique cruſtas, de ruptâ veteri aulâ. Nec ſinendum diutiùs, quin peſtis inteſtina proſcribatur. Quare potionem illicò maturare, laticémq; medicatum affer-re; tum adoleſcenti ſellam PATRO-CLIANAM jubet ſupponere, quam te-ſtulis antè cruſtiſque clanculò impleſ-ſent. Obtemperatur. Reliqua jam non eſt neceſſe perſequi. Certè adoleſcens, ut teſtacea ibi rudera conſpexit, ſe eam eſſe matrem opinatus, quæ partum edi-diſſet, confeſtim uterum ferre deſiit, mentémque habere meliorem cæpit.

38. *Diluviũ metuentis delirium.* Hoc deinde ipſum, cujus inſaniæ fuit, quòd cuidam, in quartanâ diutulè cubanti, viſæ ſunt terræ omnes, ſi aquam peteret, diluvio perituræ? Ergo rumpi ſe antè paſſus eſſet, quàm naturæ laxaſ-ſet habenas, ni perſuaſum ei foret, hoſti

ad-

aditum impediendum, foſsâ civitatis aquis, per eum, impletâ. Sic aquá pariter & inſaniâ eſt liberatus.

Quid jam illud, quòd nulli, nec pueri quidem, ignorant? Juvenis fuit, qui ſe ipſe mortuum & credebat eſſe, & dicebat. Illum in ſandapilam abjectum, ac mortem inediâ perſequentem, non ſocij potuerunt abducere, non propinqui: parentes ultimò repulſi abiêrunt. Quintum jam diem ſine alimento trahebat; unáque in civitate ſabula erat: cùm reſciit noviſſimè vir, medicæ rei gnarus, ac probè callens, quantum ea faſcina momentum haberent. Is profitetur, artem eſſe, quâ reviviſcere mortuus poſſit: hominémque vernam ſubornat, edoctum quid fieri ſubinde velit. Accipit negotium verna, ſeſéque in ſandapilâ jubet efferri; eodémque ritu, ac ſecundùm illam eandem caſulam componi, ubi juvenem alterum ſtultitia ſepeliverat. Digreſſis inde cum mendaci leſſo cæteris, duo inter ſe ſoli congemiſcunt; cæperúntque alterum alter reſpicere, ruptóque demum ſilentio ſermones conferre, & antiquior hoſpes recentem percontari; eccur eò loci veniſſet? ait ille, eò quòd mortuus eſſet.

39. *Mortuũ ſe eſſe perſuadentis furor.*

 Idem

Idem de ſe alter. Jam tempora, jam modos, jam dolores in morte ſuperatos, rogant alterni narrántque. Et ille quidem velitatum ſe eſſe cum hoſte memorabat, in eo conflictu vulnus accepiſſe immedicabile? mox una eadémque viâ ſanguinem animámque fugiſſe. Tum ſcitanti ſervulo, quâ corporis parte id vulnus acceperit? timidè oris hiatum oſtendit; eundémque ſtatim timidiùs occluſit, ne quà, ut ajebat, iterum moreretur.

40. *Mortis ſimulator hominem & urſos decipit.*

Pergit exinde vernula, & ludus, inquit, hic fuit, præ ut ſi meum tibi funus recenſeam. In venatu quippe feras perſequebar, non fugaces illas, uti cervos aut damulas; quibus conficiendis jam pridem & pueri auctorantur: ſed generoſas ac maſculas, ex Urſorum Leonúmque gente. Eâ de re comitem aſcivi, quem fidiſſimum credebam, ut alter alterius pericula communia haberemus. Et cõſtitit aliquamdiu fides. Verùm ubi nuper ex improviſo in plurium Urſorum gregem incidimus, metus illum à fide abduxit, auctoramenti ac ſocij perinde oblitus, altiſſimam quercum conſcenderet: méque relictum, & Urſis immanibus proditũ iret. Hîc ego quid

quid unus facerem, tot hoſtibus petitus, vix cum ſingulis componendus? Cepi à deſperatione conſilium, itaque in mortuum decubui, ut parciſſimus animæ, vix modicè reſpirarem. Irruunt interim Urſi ac dubij hominem an cadaver repererint, explorant versántque. Nec fuit difficile cæteros fallere, uti velut à funere refugerent. Sed callidior unus, dum omnes animæ meatus pertentat; jámque narium canales, jámque aurium teſtudines inquietus rimatur, patientiam meam pœniſſimè viciſſet. Quanquam & ipſe, ut carnem morticinam credidit, innoxius demum receſſit. Spectârat hæc omnia ſecurus comes: qui profligato periculo, cùm ad me reverſus vitam gratularetur, id in cæteris avere ſe noſſe, ajebat, ecquid ultimus ille prædo toties in auriculam garriviſſet? Ego, monuit, inquam, ne tibi dehinc aliquid crederem, nî me deceptum continuò vellem. Atque utinam dicto audiens, alteram ejus perfidiam non expectaſſem. Nam ille parum habuit comitem prodidiſſe, nî repetito ſpecimine mox etiam perderet. Quod denique ſic evenit. In denſiſſimo nemore unà aſſederamus, curſu diutino fatigati,

cum

cùm, ecce tibi cruentis rictibus nos aſſequitur leæna, cui abſenti catulos rapueramus. Nec deerat mihi animus, nec illi telum, ad vim defendendam: ſed mala indoles nunquam corrigitur. Dum ego primis in ordinibus repugno, ille in ſubſidiis tenere juſſus, abjecto venabulo fugit atque evadit. Ita noviſſimè defectus occumbo, & diſcerptus iram belluæ famémque expleo. Biduum eſt totum, cùm jam ferino ventre incluſus, nuſquam me moveo, oſſibus pœnè omnibus comminutis: niſi quòd, fallendi temporis, carmen ſubinde compono, & tragicam meam mortem deſcribo.

41. *Exemplo ſani curatur inſanus.* Inter hæc duorum abſurdiſſima commenta, redeunt ex compoſito familiares, ſervulóque veſpernam apportant. Reſedit alacer è tumba ille, atque epulas avidè contruncat, affuſóque vini ſextario liberaliter potat. Tum ad alterum converſus, & tua, inquit, cœnula quando miniſtratur? Negat ſolere. Atqui tu, niſi ſubinde cœnaveris, diu eſſe mortuus nequibis. Vides me, etſi defunctum, cibis tamen indigere. Suaſit deinde, aliquid de ſuo libare: perſuaſit: idque iterum, idque tertiò factum.

Pòſt dormire ſe velle dixit: pòſt ſurgere aliquantùm, & ſcapulas ſuas à diuturno ſitu malè habitas queri. Idipſum alter. Tum rurſus decũbere, rurſus exiſtere, interim pandiculari, interim ambulare; idque in conſuetudinem uſque facere. Eadem omnia alter. Jam nihil factu-rum ſe ſervulus videns, in quo Simium non continuò haberet, ſurgit de capulo, ſéque mortis ſuæ pertæſum, de cætero ait vivere velle. Vult illicò & alter. Quid multa? ab exemplo hujus edere, ire, vivere, ſapere didicit: abſque quo fuiſſet, fingere mortem brevi deſiiſſet.

42. *Naſi portentum.* Sed & alium quendam intempeſtiva phrenitis ludibrium fecit: cui perſuaſum erat, naſi ſui promontorium ultra pedes decem procurrere. Quare ſi qui primum ædium limen tangerent, pro inſano vociferabatur, cautè accederent, ne immeritum fortè naſum improvidi calcarent. Nullus olim nauta ſic Acroceraunia timuit, aut in flectendo BONAE SPEI promontorio tam anxiè navigavit, quàm qui ad illum Naſonem acceſſitavêre. Quod ego tamen, quando antiquum eſt, non commemoro: hoc recens audite.

43. Ex terrâ Germaniâ homo in ultimos

UTO-

Grande caput alterum habere perſuadens furtum excuſat.

UTOPIOS pervenerat, nobilis apprimè, ſed auri quàm cerebri ditior. Cujus ut candorem caupo perſpexit, vaferrimi ingenii homo, cæpit reputare, quibus truncum HERMAM dolis circumſcriberet. Omnia videt immunita, & , ſi anniteretur, modico ſtratagemate capienda. Cœnatum igitur, atque vini nectare inundatum, prælucente cereo in cubiculum deducit: lectulum ibi, juxtáque amœni ornatus diætam attribuit, ubi noctem beatè degat. Etrigebat is adoleſcens auro; ac torque præſertim, in plura volumina ſinuato, conſpicuus: ſuas aliis divitias venditabat. In hoc monile oculos conjicit hoſpes, non inſcitus rerum æſtimator. Id ſimul ut exuit temulentus adoleſcens, tanquam inter gentiles adhuc degeret, minimè piceatos, de cervi claviculo negligenter ſuſpendit: at non perinde negligenter id hoſpitem advertit. Qui deſignato rei gerendæ loco, Juvenem nunquid aliud velit? interrogat. Ille, equum bene manè adornari; nam ante Solem ortum velle proficiſci. Hoſpes poſt ea, quæ in digreſſu ſolemus, abſcedit, juvenis obdormit. Noctis interea venit concubium, & tabernæ dominus ad tor-

ad torquem intendit, deq; eo ſpolio furtim ſexaginta anellos puri puti auri deducit, cæterum torquem probè adcurtatum relinquit. Die poſtero ad condictum ſurgitur, equus ſternitur, Juvenis veſtitur, calceatur. Ad torquem injiciendum ubi venitur, repentinum ecce miraculum, quem ille duplicatum inducere capiti pridie potuerat, tunc ægrè ſimplicem inducit. Turbatus proinde conclamat. Hoſpes conſilio dudum invento, accurrit: reperit hominem in capite, & torquis ſuæ anguſtiis tricantem, mox conſternato ſimilis longè quàm alter, altiùs exclamat, & mirificam capitis mutationem deteſtatur. Terruit credulum veterator; & roganti, quid enim eſſet? ſimulavit fugere ſe malle, quàm dicere. Tandem, caput ait quovis dolio majus intumuiſſe. Exanimis alter, utrâq; manu capitis ſui molem examinat: ſimul hoſpes jam perturbato promptó; vel majora credere ſpeculum oſtendit, mendaci comento in oculorum faſcina repertum. Adverſus iſtud ubi contemplari ſe cæpit, vidit miſer, non caput, ſed CAPITOLIUM, & informi vaſtitate monſtrum. Illacrimans ergo, pallio caput ſuperobruit; atque

atque hanc nimirum cauſſam ſuſpicatus, quòd torquem induere nequiiſſet, maturavit diſcedere, ne per lucem manifeſtus agnoſceretur. Ferunt eum deinde multis diebus publico abſtinuiſſe, nec ullis argumentis perſuaderi ſibi paſſum, ut crederet, de torquis pondere deceſſiſſe potiùs aliquid, quàm ad capitis molem acceſſiſſe.

44. *Ruſticus perſuaſione ſe regem eſſe credit, & pro eo ſe gerit.*

Hæc præter alia ſexcenta comemorabant, ut fidem mendacio emerent; & Ruſticus ab iis exemplis ad regii nominis perſonam induceretur gerendam. Nec nihil eſt profectum. Jam enim Regem ſe amens credere; ſua omnia ſuperbè circumſpicere; alios,ut degeneres animas contemnere; & quicquid domeſticæ panpertatis reminiſceretur, pro ſomnio habere. Et juvat, ait, extra hoc cubiculum prodire, quò è cæteris locis ſui periculum memoria faciat. Extemplò morigerantur omnes. Concurrunt palatini Coraces; hi illum humeris in hexaphoro geſtare; hi magnæ ambitionis anteambulones eſſe; alii poſticæ pompæ appendix fieri. Eo ritu per regiā deducitur, barbaro tapete conſpicuam, Videt aurea ſupernè laquearia; circùm argento incruſtata marmora; infra lucen-

centia aſarota. Pererrat comitante turbâ viridarium ; videt fontium fluenta, piſcinarum delicia, hortulorum nemora. Et quod unum ante omnia placebat ; jam ſuum mirabatur eſſe, quicquid uſquam eſſet. Sed oculos fermè ſaginabat ea voluptas ; ſtomacho nondum ſe regem agnoſcente. Videt mala aurea, & præterit, pometum Heſperium, & negligit ruborem Punicum, & contemnit. Cum his Palmæ amygdala, Damaſci pruna, fici bellaria, faſtidiuntur ventri ceraſis ſuis paſci, & rapis asſueto inſidiari. Jubet tamen ſive hæc afferri ; feruntur : ſive illa arceri ; arcentur : ſive alia curari ; curantur.

Et conſumpto in tot ſpectacula meridie, prandium propinquabat ; id poſt- 45.
quam cupere ſe oſtendit, locis mox omnibus viiſque properatur :

His labor inſerto torrere exanguia ferro
Viſcera cæſarum pecudum ; his cumulare caniſtris
Perdomitam ſaxo Cererem ; fert altera plebes
Ingentes auro pateras. Lætatur at ipſo
Obſequio ſervire domum.

Quip-

Quippe opes ſuas operáſque ambitioſè in illum omnes congerebant, ut crederet egeſtatem, ne, ſi quidem vellet, redire jam ad ſe poſſe. Ità ad Jovis menſam accumbit unus, circumſtante tot procerum coronâ; à quibus omnibus omnia ritu pereleganti ſimulantur. Uno appellato; venerantur continuò omnes. Pro imperio nutus eſt. Nulla cujusquam vox auditur, niſi regis inter Principíſq; titulos excepta. Jam interim magnâ acie dapes inferuntur; aureâ ſupellectile menſa anguſtatur. Orbis, culter, cochlear, ſalinum, argentum eſt; aurum omne in leones ac pardos efferatur. In his metallorum prodigiis apponuntur, Cæſarum deliciæ; reviviſcunt APICIORUM illecebræ; perduntur LUCULLORUM impenſæ, & in plebejam ingluviem VITELLIANA culina laborat. Nunquam tantas homo lautitiarum ſtrues viderat; & quicquid ne nominare quidem rude palatum ſciebat, id incipit libare. Ad hæc Opimianæ præſtantiæ vina & Falernæ nobilitatis mulſa, & Creſſæ originis uva immodicè ſuppetebant. Denique nihil cupediarum erat, quod ibi non erat. Nec ſubinde feſtivi riſus fabulæque deſiderabantur, veteres Craſſos exci-

excitaturæ. Nam ut quidque Ruſticus abſurdi committebat, indidem ſalſa jocorum materies naſcebatur. Et fortè capum ille ingentem ſolus avidiſſimè ſepelierat, cùm ſtructor, quò riſum diverteret, hujuſcemodi rem exorſus eſt fabulari.

Accubuerant in tabernâ viri nobiles multi, quibus prandium juxta nobile lautúmque apparabatur. Hi aurigam pecunioſum, qui ſub meridiem ibi interjunxerat, eôdem invitant, ſi lege ſtrempſe philippæum pendat. Auriga nec animo nec marſupio defectus annuit; & inter gulonum aciem ſtipendia facturus, accumbit. Ubi calere tandem opus ac fervere cæpit, patina ingens ponitur; in quâ trutæ grandes luciíque, & circum hos minuſcula gens gobiorum ac mugilum natabant. Huc ita nobiliorum gula ſpectabat, ut ſibi cum grandiuſculis rem eſſe vellet, plebejam famem minutiis ſaginandam duceret. Id negotium carptori datum, Ruſticus aſtutè advertere; &, quod illi dentes etiam in majuſculos pruriebant, ingenioſè eludere. Priùs enim quàm ori piſciculos ingereret, ad auriculam ſingulos, ceu loquitantes, identidem

46. *Auriga inter nobiles accumbentis feſtivus & utilis jocus.*

tidem admovebat. Quam ſtultitiam cæteri demum obſervant; ſuſpicati non eſſe nihilum, quòd auriga tam feſtivè inſpiraret. Quare ſcitari, ecquid geſtus is ſibi velit, inſtituunt. Ille primò tergiverſatus, ex compoſito mentitum ruborem excuſat. Illi tantò pertinaciùs inſtant; dum victus alter, Bona ſcæva, inquit; diu eſt cùm parentem peregrè amiſi; anni ampliùs quindecim ac ſemis, aut ſi quid eſt præter propter. De quo nihil adhuc aliud comperi, niſi naufragio periiſſe. Viſum eſt proinde hos piſciculos examinare, ſiquid præterea cognôſſent, funuſque patris alicubi conſpexiſſent. Cæterùm nihil vidiſſe pejerant; vires & ætatulam cauſſari; ut, quibus à portu abſcedere longiùs, etiamnum inſolens, & majoris Oceani fluctus explorare formidoloſum fuerit. Intra æſtuaria duntaxat ſeſe ante hunc diem, & tenuium rivulorum vada continuiſſe. Porrò ſi quid reſciſſe velim; conſulendos eſſe commilitones ſuos, quà mole, quà annis grandiores; qui omnia maria emenſi, in pluria oculorum theatra commeârint. Hinc eſt, quod circumſpicio, &, an cum majori venire in colloquium

poſſim,

oſſim, quæro. Senſerunt hîc illi, non um ſe hominem laceſſiſſe, quem ſibi inxerant: ſed in Therſite Uliſſem de-ituiſſe. Igitur quas delicias hominis marſupio negârant, eas ingenio demum concesſerunt. Piſcibus in hunc ferè modum abſumptis, aligera gens turmatim à veru involabat, lancémque ingentem Anſer turundulis efiartus implebat: hunc undíque turdi coronabant. Quos dum ſingulos certatim ſinguli diripiunt, auriga jam audacior, anſerem, qui unus remanſerat, falsè adoritur; cúmque totum ſui juris facit: ità ſuas ſingulis aviculas dictitans obveniſſe. Structor hæc fortè recenſuerat, cum alii ſuper alios diverſa pergunt addere, ut cuique promptum erat, dum MENALCAS in ipsâ felicitatis opulentiâ recumbens, cum patinis poculíſque velitabatur. Nunquam humilis venter, tantam lautitiarum ſtragem fecerat; neque rarioribus illecebris famem, neq; lectioribus uvis ſitim reſtinxerat.

Igitur corpore ſuperfluentibus bonis ſaginato, Ruſticum ſatietas, & quæ hanc fermè conſequitur, ebrietas invaſêre. Sic per ea jocularia dies exiit; & paganus mentem denuò exuit, ac ſom- 47. *Humana pompa cataſtrophe.*

K num

num incidit; rurſus ſui oblitus, rurſus mortuus. Tandem placuit palatinis, expugnatam paupertatem novâ mendicitate revocare; & ſuum TARQUINIUM in ordinem cogere, rémque ad interregnum trahere. Confeſtim ergo torques illi de cervice; de digitis annuli; de manibus armillæ detrahuntur; veſtium cultus deripitur. Sed & barbæ appendix calido rore humectata dilabitur; & comæ turritæ fibula remittitur; & diali imperio defunctus, eſſe is rurſus incipit, qui nunquam deſierat. Fuit illi hoc inter omnes Imperatores ſingulare, quod imperium & accepit temulentus, & depoſuit. Ita omnibus denique fortunis everſus, amicitur veteri ſago; & cum lacerâ endromide in idem cœnum provolvitur, unde fuerat pridiè eductus. Ibi alteram temulentiam ut edòrmiit, regem ſe ſurrecturum opinatus, videt regnum ad pœnitentiam rediiſſe, & ſe paganum evigilaſſe. Enimverò quid tum dixerit amens fecerítve; ſi narrare ſingillatim velim.

Ante diem clauſo componet veſper Olympo.

Duobus verbis fecit, quæ facerent ſtulti, ſani riderent. Certè cùm domum reve-

evenit biduo amiſſus, iratæ, ut ajunt, uxori, dixit ſe in Inſulis fortunatis fuiſſe; aut præter Elyſii campi vireta ambulaſſe; ubi ſuper inſueta aurium oculorúmque obſequia, licuerit,

Fulgentes manibus tenere gemmas,
Et teſtudineo iacere lecto,
Et molli latus abdidiſſe plumâ,
Et gemmâ bibere, & cubare cocco;

ac mille ſexcentis felicitatibus beatum eſſe. Cæterùm uxor non tam docilis, ut mariti ſomnio fidem haberet, cum credidit in popinis pellucida vitrea vidiſſe Jurgiiſque hominem complexa, per capillos in cubiculum traxit, ubi cerebri inſaniam ventris jejunio luſtraret. Mihi interim atque ANNIO LUCIOq; meo tanti non fuit, ut domeſtici diſſidii eventa expectaremus, præſertim, quòd inta Caniculæ Ferias intenti, plura alia & videre, & ridere cogitabamus.

UTOPIÆ DIDACI BEMARDINI.

LIBER QVINTVS.

1. *Nocturna quies & inquies, ſeu ſomnium natantis.*

ITa TARVINIO, quem dixi, ejecto, Ruſticóque ad hunc modum in ordinem redacto, plerique, ceu ſtultitia miſſionem dederit, quà cuique promptum erat, dilabuntur. Me Lucius, Hermiúmque ANNIUS, unde pridem abieramus, reducit. Ego, quod dies mihi omnis inter ſpectacula exiiſſet, ſomni quàm cibi appetentior, noctem avidus invito. Cubiculum erat amplum, multóque periſtromate decenter prætextum: oculis planè excubantibus dignum, neq; ſomni rhonchis profanandum. In hoc mihi ſternebatur: Juxtà HERMIUS in altero pulvino recumbebat. Precati uterque, ne dies properaret, obdormimus. At ego non dudum obdormîeram, cùm adeſſe imagines, & quas interdiu larvas riſeram, eædem ridere me inceperunt. Ibi & fovea mihi rediit; & comites fugere.

gêre, & Ruſtici venêre: denique dum fabulæ diurnæ centones conſuo, novam repente ſcenam architector. Oeceanus ante oculos erat, & æqualium meorum numerus ingens, qui omnes moleſtante æſtu, & in undas prolectante, irruere viſi, & maria ludibundi contemnere. Pars

—vada ſalſa citâ decurrere puppi;

pars audaciores

liquidas Neptuni nare per undas.

In his mémet ipſe videbam, liberum metu vagari, ac fluctibus inſultantem, jam ima cum urinatoribus explorare, jam ſumma æquora remigante manu perlabi. Mirúmq; mihi erat, hunc in me artificem tamdiu latuiſſe. Igitur dum gloriæ ſtudio provectus longè alios poſt me relinquo.

Emersêre feri cano de gurgite vultus,

immania cæte, & vaſti nominis balænæ. Quibus eminus aſpectis cogitabam, hîc LYCIANI me hiſtorias habiturum, ac brevi in ventre peregrino hoſpitem fore, nî aliquod aſylum reperirem. Quæro proin' humentibus oculis; & ecce, haud procul intueor montes, & Acroceraunia, quæ mediis è fluctibns emerſa inſulam fecêre. Illuc trepidè adnitor,

— madidáq; in veſte natator
Tuta peto ſcopuli, ſiccáq; in rupe quieſco,

2. *Somniũ informitas incedentis,* Inde per arduas cautes eluctatus, in planitiem denique evado : vaſtam illam, ac belluis frequentatam. Cæterùm ibi camporum vireta, & pratorum æquora, & nemorum opaca viſebantur. Meliùs ea vigilans Apelles non pingeret, quàm mihi ſoporis inertia adumbravit. Quæ omnia dum otioſus ego perambulo, in lucum feror; quem magni formicarum exercitus inquietabant. Nondum arbor frondes, non flores pratorum, non herbularum calices aliud, quàm MYRMIDONUM acies fuêre. Et ipſa humus formicoſis collibus tumida, infráq; mille cuniculis perfoſſa, gentem immodicam educabat. Nec habuit immunem illa me peſtis; ſed per totum corpus graſſata, morſibus innumeris ſæviebat. Mirabar ego tam parvum hoſtem, tantum mihi negotium faceſſere. Irratâ proin' manu pugnaciſſimum animal contundo. Et jam cladem legionis unius feceram, cùm novæ identidem copiæ ſuppetias jêre; ſemperq; infeſtiores aderant, quando plures necabantur. Crederes mihi eſſe cum HYDRA negotium;

tium; & hoſtem ab interitu ſuo fieri ferociorem. Sed quòd maximè tuli impatienter, urebat, tergum, quod frequenter hoſtis inſidebat; ubi mihi defendere vim, niſi dolo, non licebat. Quid enim facerem eo hoſte, qui averſis vulneribus me infamaret? Converſus ad artem, humi abjicior, incipióque crebro affrictu omnes elidere, ac tandem infeſtam obſidionem ſolvere.

Verùm magno ingenium ſtetit. Nam locus piceâ fortè abiete pinúq; conſitus, humum omnem ſudore nativo infecerat, viſcóq; tenaciſſimi roris impleverat: in quo dum inſcius volutor, tergum omne pedéſq; mille laqueis occupantur; lentâ pice impediti; Sic, ut Echeneide tactus nuſquam me poſſem moliri: Primùm riſus, & quales in ludo ſolent cachinni. At poſtquam nec pedes eximere, neque corporis truncum extricare licuit; vix imò caput erigere, manúſq; irritas levare; cæpit animus mihi compaveſcere, vitæque ſollicitus eſſe. Itaque manibus obniti, méq; humo conor attollere. Sed jam & manus picati pertinaciâ viſci ita tenebantur, ut quicquid contingerem, coaleſcere mecum videretur. Circumſpicio tandem anxius, 3. *ſomniũ pice inquinati.*

& ad opem vocandum, conclamare aggredior. Verùm quòd fermè in ſomniis ſolet.

— *inceptus clamor fruſtratur hiantem.*

Iterum proinde alternis pedibus eruptionem tento, cænúmque ineluctabile plantis ſubigo: iterum plumbei pedes, iterum illuſi labores.

4. *Somniũ lupum tenentis.* In hâc rerum deſperatione, ſtrepitum è ſenticeto, ac mox ululatum accipio ruentis feræ. Lupus is erat, qui nidore excitus, ad annonam cum magnâ familiâ accurrebat. Hîc ego jam ſemianimis, Cerberum adeſſe, aut ſtygis vigilem credens, neſciebam quid porrò agerem; niſi quòd recordabar audiſſe me; quod olim & alius fecerit, in ſimili naufragio deprehenſus. Tempori ergo ingenioſus, mortuum fingo: nec longè mentiebar. Tum illi prædones cominus explorare, & ſi quid animæ reliquũ eſſet, videre; crebriq; circùm in orbem ire: donec incauto ſyrmate alter atque alter brachium deſtrinxit. Tunc ego dextrâ lævâque ſingulos adortus, caudæ flabella complector arctéq; duobus inhæreo. Illi ſe captos arbitrati, non reſpicere,

cere; non pugnare; ſed cum ululatu ul-
timas vires ad fugam vertere. Cæteri
omnes, ne unà caperentur, curriculò in
ſilvas refugere: duo, quos ſolos vadi-
monio tenebam, properare; meq; inſcii
invitíque de reſinæ luto educere Sed,
quòd neutram manum abſolvere ſtatim
quibam, per aliquot paſſus lepidam ap-
pendicem raptârunt; humíq; tractum
novo me iterum monſtro veſtiêrunt.

Fortè enim plumarum funera ſube- 5. *Somniū plumati hominis.*
rans, cæſarúmque volucrum ſpolia; in
quibus ego volutatus, miſerrimam me-
tamorphoſin incido; & plumis undique
inhærentibus noctua germana ſio. Ta-
lis ego jam ales, ubi nondum volare me
poſſe vidi, corporis tamen illuviem ab-
ſtergere natando volui. Quare cupie-
bam undis luſtrare me, ac poſtliminiò
in Oceanum redire. Sed nulla jam uſ-
quam æquora erant: nec fontes me ul-
li, aut amnes accepêre. Manu igitur
impenſiùs inſto plumantia vellera decu-
tere, corpúſque infamibus exuviis libe-
rare.

Inter hæc noctis ridicula HER- 6. *Inquiete dormientis ſigna.*
MIUS altùm inclamat. Evigilo; & ſu-
dore perfuſus, diu me ipſe quæro: ac de-
nique in tepentis lecticæ nidulo depre

 hen-

hendo. Hic, ecce, toralia pedibus ſubacta in ſarcinam coîerant, & pulvinos tegetémque manus inquieta dejecerat: ut omnibus circa perturbatis, ſeriam fuiſſe ſomni velitationem apparêret. Et HERMIUS nondum gnarus quid ageretur; Quæſo te inquit, ſatin' tu ſanus es, qui & noctem facias perſonatam! Mihi porrò ſciſcitanti, quî hoc quæreret? Diu eſt, inquit, cùm ſomnianti auſculto: hîc tu modò lectulum videbare utraque manu plaudere: velut ex anatum ritu pronus in undas ruere. Riſi ego te; & in calente lectulo natantem,

Et ſiccos vacuo removentem è pectore fluctus.

Idem aliquando glorioſus miles nocturnum hoſtem provocabas: & erat ut clamorem quoque; ſed exanimem tolleres, aliáque ſexcenta hoc genus inſanires: quæ non potuiſti, tu quidem, niſi perſonatus. Planè, inquam ego. Et multum huic equidem nocti debebo, quæ tot mihi artium magiſtra fuit. Rem deinde omnem, ut erat ſomniata, recenſeo. Ille ſtultitiâ ſomnii delectatus, alia mihi conſimilia referebat. Quæ cum inter nos diceremus, raucum audimus vigi-

vigilem conceptis verbis noctem prodere, tertiámque ſomni vigiliam nunciare, Nos ubi tantùm noctis reliquum eſſe ſenſimus, ad quietem compoſiti, rurſus obdormimus.

At ſole exoriente, nos poſt ea, quæ oportuit Lucius Anniusq; viſunt: rogant quemadmodum nox eveniſſet! Ibi repetitis cum riſu ſomniis, tubicen in plateâ cæpit populi concionem cogere. Mittimus illicò puerum, qui rem propiùs exploret. Abit, redit, nunciat judicium capitis eſſe. Deteſtabar ſævum judicem, qui nefaſtis etiam diebus tribunal poneret: inque feſtâ vini licentiâ ſanguinem ſitiret. Sed liberavit me Annius inutili metu, cùm docuit, rem utique mimicam fore; quippe quæ ad Moriæ puteal cognoſceretur. Proin' ſi gratum eſſet, unà omnes in Jus ambularemus: diémque jam alterum forenſibus nugis venderemus. Perſuaſit is, ut facilè omnibus luberet. Unus ego, neſcio quid repentè triſtior, meos iterum comites requirebam, qui in ſilvâ nuper à me diverterant. Suppreſſo tamen gemitu ibam. *7. Non à quávis re timēdum.*

Ita centuriatim ad eadem, quæ pridiè, atria regreſſi; cernimus undique *8. Iudiciū theatricum.*

à curioſitate omnia obſideri. Tumebat in ſublimi pegmate Prætor; & faſtum impatiente ſupercilio explicabat. Latera claudebant ſinguli judices: hinc locutuleij forenſes, & rabularum vænales animæ: inde patroni, &, ſi qui poſſent marſupio advocationem facere. Mox delatorum & quadruplatorum tribus ingens; cum ſtilo ſinguli & palimpſeſto; qui ut aliorum gemitus nutúſque ſervarent, ſolliciti aderant, pallebántque ceu toto Decembri vinum non bibiſſent. Poſt hos, apparitorum lictorúmque agmina forum coronabant. Plebs reliqua pars circumſiſtere, pars è feneſtris tectíſque deſpicere. Nos cubiti umbone viam aperimus, ínque intimam concionem vi penetramus. Ibi rem erat longè triſtiſſimam videre: Juvenem habitu inceſſúq; mœſtum, & quem ex amiculo ſordido, reum facilè ſciremus. Atqui vultus partim erat pudore victus, partim lacrimis deformatus, ut nulli noſtrum agnoſceretur. Is talis adoleſcens ligatis poſt terga manibus, inter lictorum cuneos ducebatur. Et jam alii lictores animadvertere, populúmque clamosè ſummovere; alii ſilentium poſcere, ac ſi quis vim pararet, lege ſirem-

pſe

pſe reum reique patronum poſtulare.
Congemuit plebes ferali edicto, juvenémque omnis continuò gratia reliquit.
Qui ut adverſus Prætorem conſtitit, cauſam ex vinculis dicturus, cœpit à diſertiſſimo actore magnis criminibus accuſari. Caput erat Latrociniis eum viciniam omnem infeſtam habuiſſe: ac ne hoſpiti quidem ſuo parſurum jam fuiſſe, niſi fugâ innocentiam defendiſſet.

Inde in rei narrationem ingreſſus. Illum ait adoleſcentem tribus nuper ſociis ſtipatum ad ſe veniſſe; & hoſpitio acceptum, noctis beneficia mox diurno maleficio penſitaſſe. Nam ut ille me, inquit, hominem eſſe antiqui moris, neque fallaciis ſeptum advertit, opportunum credidit, quem ſuæ perfidiæ argumentum haberet. Ac fortè ex ſervulo malè cauto compererat, iter mihi ad vicinum oppidum eſſe; quò me oporteret grandem pecuniam perferre, quam apud argentarios occuparem. Simul didicit profectionis horam, didicit viam, & ſi quid aliud erat inſidiatori ſciendũ. Inde omnes ingenio uti, alterique alterum in ſceleris meditationem hortari. Convénit ſummâ luce ad inſidias cur-

9. *Falſa latrociniis accuſatio.*

rere, viámque armatis latronibus inſi-dere. Ità clanculùm domo ſe urbéque ejiciunt. Mihi nox ea nullis fuit ſuſpicionibus ducta. Primo diluculo equum jubeo ſterni Aſturconem, quem unum celerrimum ſciebam. Injecto dein' auri pondere proficiſcor. Et quamdiu noctem inter & lucem ambiguus ibam, nihil occurſabat formidinis. Sed ubi unum ab urbe lapidem aberam, eminus cæpit ab adverſo colle hominis quæpiam larva exiſtere, humeróq; tenus videri, mox iterum condi; atque iterum eadem proſpicere. Mihi ne ſic quidem ſuſpecta res eſſe. Quippe otioſus ibi viator conſediſſe, & ſuos utique comites expectare credebatur. Interim propiùs accedenti, plura ſe indidem ora, neque jam planè ignota oſtendunt. Nempe hoſpites meos eſſe ſatis parebat: Sed quonam pacto illuc perveniſſent, id verò mirabar. Et quid ſi, inquiebam, nitor illos auri excivit, prædæq; ſpes has iis alas addidit, quibus me præverterent? Aut latrones fortaſſis habebo, quos hoſpites receperam?

10\. *Locus la-* Dicebam hæc: ſimul loci ſolitûdo, & ſilvulæ infamia ſubibant, quam recenti flagitio locus contraxerat. Siqui-

dem

trociniis infeſtus.

dem fœdas inibi cædes nuper, ac nullis auctoribus factas recordabar. Aliqui ſimul eò delati fuêre, nuſquam inde, quod ſcitis, in hunc diem conſpiciuntur. Aliquorum reperta quidem veſtigia; ſed exploratorem in ultimâ fluminis ripâ deſeruerunt; ut appareret eos inde in cælum iiſſe. Alibi veſtium abjectos centones, velut in ſpoliario monſtrari: alibi cruorem amphitheatralis arenæ videri nuntiabatur. Ipsémet ego ſaxum informè videram, quod cerebri tabo aſperſum, CACI mihi ſpeluncam referebat. Juxta eliſos ubique dentes, excuſſósq; molares intuitus, quid niſi Cadmeam ſegetem, ac mox haſtatam meſſem formidarem? Tum egómet mecum, Flaminiam fortè Latinámvè viam quæſiiſti, ubi funeri tuo tumulum haberes? Certè jam veſpillones conduxiſti. Ibi demum cohorrui; ac velut amens, nullum mei juvandi conſiliũ inveni. Nam ultrà progredi, quid aliud erat, quàm ultrò ad Libitinam properare, jugulúmq; ferro præbere? At retro etiam cedere cùm intra teli conjectum veneris, præter quàm quòd ad declinandum ſerum erat, fugam manifeſtò proderet, animóſque latroni meus

metus

metus augeret. Quod autem erat miſerrimum, ne ſubſiſtere quidem tutò, jam *licebat, aut opem à morâ flagitare.

11. Fuga.

His igitur periculis circumventus, uberrimo ſudore diffluebam: nec verò plus triginta paſſus ab interitu diſtabam, cùm mihi locorum facies ingenium ſuppeditavit. Nam latronum inſidias fortè mons lævus abſconderat: ad dexteram mihi nemus viſebatur, opacum & propinquum: media intervalla vix ſingulis curribus pervia. Et nimirum hac illi me tranſiturum arbitrati; postquam nihil metuere viderunt, de ſpeculâ montis deceſſêre; jam prædæ venientis ſecuri. Id ego conſpicatus, dum arbitris careo, ſubditis equo calcaribus, de viâ in ſilvulam ocyſſimè diverto; perque avia inviáq; mortem effugere laboro. Fefellit aliquamdiu fuga ignaros: donec equi fugientis ſonitu perturbati, in ſpeculam redierunt. Inde viſo quid fieret, fugam uno omnes agmine perſequuntur. Decem omnino fuêre, magnis viribus latrones: quorum ego pone ſequentium clamores ut magis magíſque ſenſi crebeſcere; jámque virgultis arbuſtíſq; vias impediri, equũ deſe-

deſero, receptóque auro, quà licuit evado. Premunt tamen illi; & viarum divortia partiti, pertinaciter in me ruunt. Ergo curſu metúq; fractus noviſſimè ſuccumbo; ac dum latibula mihi circumſpicio, annoſam alicubi quercum invenio, nullis jam frondibus proceram, ſed vaſto ſolùm cavóq; ſtipite nixam. Hiabat in ſummo truncus; idque indicium latentem caveam prodebat. Illuc ægrè tandem enixus, in arboris carcerem deſcendo, & lætus aſylo, ſicarum minas iráſque hoſtium contemno.

Verùm brevis ea fuit ſecuritas. Ut enim inſolens loci fætor me advertit, cæpi pedibus pertentare, quidnam inſiſterem? Cedebant enim fundamenta ſenſim, ut putre ſubeſſe ſolum videbatur. Locum proinde oculis manùq; exploro: ibi (miſerum me) perfoſſi hominis cadaver reperio, per cujus cruentam faciem; ſordes vermium ambulabant. Equidem hîc metu pallidus, nihil credere reliquum eſſe, atque ut ipſe cadaver fierem. Quare damnato funeſti hoſpitii lare, feſtino indidem erumpere, neq; in illis puticulis meum carnificem expectare. Talia meditantem alius iterum metus abſterruit. Nondum enim dimi- 12. *Latebra.*

dium

dius emerſeram, cùm hi mei prædones apparuêre. Quorum aſpectu iterum jugulatus in tumulum eundem præceps relabor, neque de fugâ jam ulla cogito. ſeu arboris ſpurciſſimæ ſpelæum, quod paullò ante ſorduerat, præ quovis palatio mihi fit amplum & amœnum. Interim illi accurrunt, & velut ad condictũ veniſſent, propter arborem omnes ſubſiſtunt Tum eorum unus, Commilitones, hîc, inquit, è curſu reſpiremus. Nam de fugitivo quidem cur porrò cruciemur, non video. Ultra hanc arborem ſolum paluſtre tenditur, ſilváque omnis uligine impeditur, ut nuſquam fugæ ſit locus. Caſſibus jam tenetur fera, & in hac viciniâ ſe alicubi defendit, dum quæſita ad macellum protrahatur Ità aliis in colliculi ceſpitem abjectis, ipſe fatali ſe arbori applicat, incipítque ſua quædam facinora prædicare.

13. *Furum infelicitas.* Biennium, inquit, in hac veſtra legione milito, magnis quotidie periculis jactatus; quorum omnium ego vel ſocios vos habeo, vel teſtes. Etſi autem ſæpe pernox in hâc quercu delitui, & quærentium lictorum minas eluſi: nunquã tamẽ propiùs Orcum abſui, atque abhinc Sexennium, cùm alterius adhuc famiiliæ

liæ ductor, temerè mihi diſcrimen ingens conflavi. Titius erat in urbe, homo, ſi quem alium noviſtis, locuples, & apprimè copioſus, qui unus flagellare populi annonã poſſet, ruſúsq; eandem, ſi placuiſſet, laxare. Nam præter quàm quod latiſſimè arabat ipſe, alienis etiam meſſibus imminere, frumenta per agros coëmere, atque undique ſolebat convehere. Inde nulla illi neque horrea ſatis ampla eſſe, neque marſupia condendæ ſufficere. Eum nos hominem ſumpſeramus depeculari. Sed quibus id rationibus conſequeremur, diu nihil ſubibat. Sæpè vis irrita, ſæpè inſidiæ fruſtra fuêre, ac plerumque nobis adverſæ. In hujus tectum aliquando STURNUS aſcenderat, ut, cùm tegulas removiſſet, intrò ſerpere, prædámque congeſtam ad nos poſſet devolvere. Nec nihil egit. Magnis enim ſarcinis potitus, dum eas temerè dejicit, ſubeuntẽ ſocium oppreſſit, pectúſque mole nimiâ eliſit. Nobis in eâ ſtrage exclamantibus, familia excitata, in fures ſe armat. Nos fugâ dilapſi, prædam omnem, Sturnúmque in ſummis ædibus operantem deſerimus. Ille ad deſperationem verſus, cùm receptum non haberet, certè ut Carnifi-

cem

cem effugeret, à tigno ſeipſe nexuit, ſpiritúmque adſtricto jugulo diſcluſit. Nos jacturâ duorum comitum afflicti, aliud tamen ex alio machinamur.

14. *Bos perā furi aufert.* Eâdem nocte in Titii ſuburbanum progreſſi, ut ſocios vindicaremus, fores effringimus, bovémque egregium ſtabulo avertimus. Atque ibi dum alterni prædam per cornua trahimus, ego denique infelix abactor ſuccedo. Qui pertæſus id negotium, labori compendium quæro. Exuo cingulum, de quo pera pendebat triginta Philippêum, bovi injicio; bucerúmque pecus à tergo, veluti per reſtim traho. Id quia nullo negotio faciebam, ſocii vehementer laudare, meq; unum eſſe dicere, qui cor haberem; cæteris mentem omnem defuiſſe. Mihi de re nihili criſtæ ſurgebant: cùm interim venitur ad foſſam, quam transverſo limite ruſtici duxerãt; imbréſq; recenter undique implerant. Illam audacter equidem trajicio; ratus pediſequum bovem haud aliud facturum. Sed ille reſtitare, & contumaci nutu imperium abnuere; unâq; mihi & cingulum, & peram, & omnia violentus extorquere. Mox deinde velut manumiſſus, inſano curſu ad herile ſtabulum recur-

recurrere. Ergo etſi non prædâ ſolum, ſed pecuniâ quoque privatum me, dolui; inſequi tamen fugitivum omiſi; ne, quam reſtim ab ejus collo revulſiſſem, meómet illigarem. Manè villicus, ut bovem redire cum argento vidit, ſæpe in eadem illum paſcua exire juſſit. Igitur dum nos diu necquicquam in TITIUM exercemur, & ille noſtras inſidias felicibus eventis toties diſcuſſit, noviſſimè placuit hujuſcemodi commento velitari.

Aedes amplas in urbis receſſu conducimus; & quid ibi agere quemque deceat, monemus. Ego ſimul rei gerendæ negotium accepi; rejectis pallioli ſordibus, quas optimas potui, veſtes induor: ac veſpere jam labente jubeo notæ confidentiæ ſocium pro famulo ire, meiſq; imperiis aſſuêſſe. Ita cæteris quoque in ſtatione relictis, ad TITIUM accedo. Ajo me magnum frumenti numerum in ampliſſimis horreis habere; cujus videndi, ſi vellet, copiam me facturum. Ementior nomen & locum unde advexerim. Ille non abnuere conditionem; verùm id diei, imminente jam crepuſculo iturum ſe negare, & manè potiùs venturum dicere. Reſpondeo, cum luce

15. Pradones Titium capiunt.

me profecturum; ita rationes meas polcere. Cæterùm illi moleſtum eſſe nolle; alios ſcire me, quibuſcum ante veſperum tranſigere poſſim. Uſſit ea vox hominem, ut promitte: et; iturum. Accito doiu' SOSIA, validiſſimo ſervulo, jubet eum cum telo comitari. Ego CERBERUM maluiſſem, quàm ſervulum jungi. Nam eo præſente nec fieri fraudes nec tegi poterant. At eundem recuſare, res erat pleniſſima ſuſpicionis. Ita captus ego, ſic ubi diffugerem cogitabam. Interim illi in viâ ſermo omnis de frumento; mihi de mendacio; quo modios omnes ac medymnos liberaliter implevi. Demum, ut longè abiimus, SOSIAM hunc in modum averto: Manu in ſinum demiſſâ meditabundus conſiſto; &, miranti TITIO, intimi granarij clavem ajo, temerè in eâ menſulâ reliquiſſe, ubi colloquium fuerit. Continuò TITIUS remittit SOSIAM, jubétque clavem requirere. Sciebam ego non reperturum.

16. Nos progredimur, atque properatò ad ædes venimus. Ingreſſi poſtquam alteros ſcalarum ordines alteróſque tranſcendimus denique domûs intimæ cubiculum, ſubimus, Ibi commilitones

in in-

In inſidiis quatuor excubabant; qui omnes confeſtim adorti TITIUM, priùs quàm poſſet exclamare, os illi diſpeſſum tereti ſurculo, quernâve taleâ farciunt: tum arctè funibus adſtrictum in vimineum corbem conjiciunt; ac poſtmodò, per noctis tenebras, inde in remotum hoſpitium transportant: ubi conſcius meditati ſceleris Phrygio nos præſtolabatur. Illic TITIUS in hypogæum vinctus abſtruditur, biduúmque impotus ac jejunus ita detinetur, ut intercluſus ſpiritus ægrè arctéque mearet. Per eos dies emiſſarii noſtri in foro, inq; urbe errabant, ut ex circulis ad nos omnia dicta conſiliáque referrent. Retulerunt: Amiſſum errore TITIUM; in metu & ſqualore verſari familiam: undis modò abreptum putari, modò interceptum prædonibus credi. Famulum præſertim SOSIAM ſuſpicionibus fomitem miniſtrare: quo duce ædes, quas conduxerimus, eſſe effractas; ac hero nuſquam ibi reperto, aliud ſuper aliud pertentari. Poſtremò præmia per præconem poni, quæ judici darentur. 17.

Hæc nos omnia nihilo magis territi accepimus; atque ex iis, quid conſilii capiendum eſſet, proſpeximus, certi,

ne-

neminem è noſtro Collegio fore, qui indicium faceret, præmiumque in furcâ, expectaret. Igitur tertio pòſt die litteras comminiſcimur; quas TITII annulo ſignamus, & ut ipſémet inſcribat, minis injuriiſque cogimus. Eas vaferrimo cuidam noſtræ cohortis tradimus; cúmque, quid fieri velimus, admonemus. Non diſtulit STASIMUS (hoc veteratori nomen) ſed litteris acceptis, rectà ad fraudem accingitur. Atque ut urbem omnem aliquoties perambulavit; neque cuſtodiis defenſas ædes TITII ſenſit, litteras negligenter pro ipſo ædium limine abjicit: indéque nemini viſus, otiosè recedit. Conſpiciuntur brevi pòſt litteræ, tolluntur à familiâ, & quòd conjugi erant inſcriptæ, ad heram perferuntur. Illa geſtiens ad amicos. Aperiunt, legunt; plenas lacrimis & querelis. Cognoſcitur TITIUM in prædonum poteſtate eſſe; ab iis arctè haberi, ac tantùm non enecari. Mille tamen Philippeis emi libertatem poſſe, ſi perendiè ſuburbanam in ſilvulam ab inermibus duobus perferrentur. Sin plures ibi comparerent, vel etiam nulli; mox peſſimis exemplis interiturum. Additæ preces, quæq; alia captus in tali

for-

ortunâ ſolet. Oboritur comploratio liberorum. Et uxor quidem pecunias, quibus redimeretur, expediendas cenſere; idipſum liberi; idem alij velle, ultróque vel duplices offerre. Sed unius hominis auctoritas muliebre conſilium inhibuit, noſtráſque ſpes callidiſſimus veterator eluſit.

Nec mihi tam ferreum eſt pectus, inquit; quin propinquo ſanguine commoveatur: neque aurum ego præ amico arbitror habendum: ſed ſi hodie res eſt dicenda, aurum perdere, nec amicum recipere, ea mihi ſtultitia videtur. An enim obſcurum eſt, quid ludere hi ſoleant prædones? Mille Philippicos jam numos paciſcuntur; ut cùm numeraverimus, retento in vinculis TITIO, alios iterum mille, atque iterum alios alióſque impudenter emulgeant: donec aut depauperata familia, aut pertæſa, facere poſtulata deſierit; & TITIUS tamen nihilominus ab infeſtis denique juguletur. Igitur aliâ viâ nobis ad libertatem eſt eundum. Recipiendus ſine pecuniâ TITIUS; & prædones ipſi gratis in poteſtatem adducendi. Spernite tantiſper has tenebrionum minas: & ne TITIUM nunquam videatis, redimere nunc 18.

nolite; cras eum recepturi, ſi hodie non præcipitetis. Properata plerumque ſunt irrita; & lacrimis corriguntur, quæ ratione debebant. Fingite litteras fortuitò neglectas: Silentium pejus ipſos, quàm TITIUM cruciabit. Et mihi credite; nō adeò ſe ipſi contemnent, quin, ſi hoc ſimulatis, iteratò ſcribant, alterasque litteras ementiti, huic januæ illudant. Tunc enimverò dandam operam cenſeo, ut deprehendi clàm tabellarius iſtiuſmodi queat; viderique quò ſe conferat, & quibus veſtigiis ad TITIUM revertat. Cætera factu facilia ſe ipſa abſolvent.

19\. Laudato hominis conſilio, ſummam illi rem omnes permittunt. Qui ſtatim diſponere excubias, totámque viciniam, in connivis oculis ſervare aggreſſus, nihil omiſit, quò ad indicium perveniret. Nos autem ignari, quæ faba nobis cuderetur, (nam hæc ipſa longè pòſt ego reſcij) pecuniâ nequicquam expectatâ, iterum coîmus, & de integro deliberamus. Mihi, fateor, aliquid ſubolebat; ſed aliis tamen irridentibus, & neſcio quid in fortunam rejicientibus, accidit, quod fermè ſolet, ut vinceret major meliorem. Fit Senatus conſultum; & al-

& alteras litteras in priorem ſententiam ſcribimus, ſcriptáſq; eodem ablegamus. It STASIMUS noſter, veteríque inſtituto obambulans, epiſtolam quàm occultiſſimè poteſt, deponit: inde, velut re bene geſtâ ſecutus ad nos revertit. At non fefellit oculos, in tot ſpeculis vigilantes. Nam unus alterque è veſtigio ſecuti, clam, quo ſe recipiat STASIMUS, obſervant: ac ſatis cognito, quò iſſet, diſcedunt; reque ad cæteros relatâ, brevi magnam armatorum manum adducunt. Hi perpetuâ ſtatione domum omnem cingere, & narrante adhuc STASIMO, in nos improvisò irruere. Qui intima ſtrictis mucronibus pervagati, ultimò in TITI ergaſtulam penetravêre. 20.

Hîc ego proditos eſſe nos, ac nî vim afferremus, etiam perditos intelligens, pugionem, quem unum mihi ſecuritas reliquerat, ſtringo, altéque

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor.

Exclamo; ſimul, (eheu!) telum in STASIMI pectore amens defigo; innocentis fateor, ſed in eo tumultu ſuſpectum mihi metus fecerat; tanquam is, præmij capiendi, proditionem factitaſſet. Labitur ille, & ſociâ manu confoſſus miſe-

rabili aſpectu ſe vindicavit. Inde ſub primam civium impreſſionem, per gladiorum aciem erumpere contendo, Nec impunè id mihi facinus fuit. Dum enim quaquaversùm ferro viam aperio, ſecundùm tempora cæſim, femurq; punctim ſaucius, ægrè per ultimas cædes elabor. Ii vinctum adhuc TITIUM & familiam circum inſultantem conſpicati, TITIUM ſuum libertati reſtituunt; cæteros ad unum omnes comprehenſos in furcam triduò pòſt ſublimes egêre.

21. *Alia prædonũ facinora.* Dixerat hæc ille latro, & his atrociora. At ſocii certatim omnes infanda addere, ſuáſque deinceps virtutes recenſere. Ultimam narrationem clauſit hic, quem accuſamus, adoleſcens: qui mihi viſus, ut ætate reliquis inferior fuiſſe, ità ſcelere omnes exſuperâſſe. Verùm id ego jam non proſequor; contentus mei periculi reliquias docere.

22. *In arbore abſcõditi pericula.* Cùm horam propè in his ſuis annalibus recognoſcendis exegiſſent, mihi ſeculum videbatur, qui hæc omnia cum horrore audiebam. Ac præcipue cùm didici carcerem meum his ipſis latronibus ſollenne aſylum fuiſſe. Tum enim nive Scythicâ frigidior, ita contremui, ut quaſi quercerâ febri jactatus, totam

unà

unà quercum ſuccuterem. Qui motus capitalem me pæniſſimè feciſſet. Nam illi, quid ſe intus commoveret, admirati circumſiſtunt, arrectíq; arborem explorant. Demum aliquis, ecquid ſtupemus hîc, inquit: nempe cadaver, quod nuper huc abſtruſimus, revixit; id eſt, in putenti capulo verminare cæpit. Inde nobis hæc arbos tumultuatur. Non abſurdus, inquit alius, conjector es. Hic enim ipſe fætor, quàm latè funditur? Quiſquis præterit viator, de hac nauteâ conqueritur. Quin hoc agimus. atque, ut graveolentia ſepeliatur, cadaver injectâ humo ſuperobruimus? Simul hauſtam utrâque manu arenam ſupernè injicit, méq; totum cano pulvere reſpergit. Sic ego VESTALIS virgo indictâ causâ jam tumulabar: cùm alii vanum laborem deteſtati, omittere cæpta juſsêre; & magis auſcultandum, quid THASIUS probaret. Is arborem cenſuit unâ cum latente cadavere deurendam. Itum in hanc ſententiam. Extemplò diſcurrere diverſi; & inde alius ſarmenta legere; aliunde alii frondes cædere; omnes materiam aliquam comportare, & arbori exequialem rogum circumdare, Nequè alia res funus jam meum mora-

 batur,

batur, quàm quòd flamma adhuc deerat, quæ ſubderetur. Hîc ego paullò ante gelidus, ad flammæ nomen ſudare incepi, & quaſi in Laconicâ cellâ æſtuare. Poſtmodò tamen deſperatus,

> *Ecqua* (inquam) *ſtultitia eſt, ne moriâre mori?*

Quin ultrò me, audax, prodo, & tandem ſi non mortem, certè metum evado? At enim jugulabor, ſi prodiero? imò, ſi tacuero, ardebo. Jamque adeò vocem quæritabam, uti dicerem:

> *Me me; adſum, qui feci;*

cùm iterum hæc mecum agitantem alia res avertit.

23. *Spes & lætitia vana.* Quippe ſtrepitus è propinquo, & ſonus ambulantium audiebatur: ad quẽ illi converſi, duos è ſuis vident, exanime corpus bajulantes. Conclamant unà omnes, méque retractum è fugâ vociferantur. Gratulabar ego mihi, qui ſuccidaniam illis hoſtiam obtruſiſſem, & cum utique amicum hominem cogitabam, qui ſe pro ignoto immolaſſet aut bardos profectò & blennos eſſe latrones, quibus aliena ſpecies pro meâ illuſiſſet. Niſi tamen, inquam, is ego reverâ ſum & cùm ibi occiderer, non ſentiebam. Quid jam? Nonne & hæc illa eſt cru-

crumena, quam vultures iſti venantur? Niſi fortè & crumena jam eſt geminata? Quicquid eſt; certè enim vivo; & hos adhuc pedes, atq; has etiamnum manus agnoſco. Inde pedes ventrémque amens contracto, & ſic ubi vitæ argumentum inveniam, quæro: ſed ii ipſi quòd pridem obriguerant, meam mihi mortem pæniſſimè confirmaſſent. Demum eo me dubio ignari latrones expedierunt. Poſteà enim quàm recens cadaver projecêre, veſtéq; illud ac peculio ſpoliârunt, imperato ſilentio, quemadmodum flagitium fecerint, ſocii percontantur.

Illi, in extimâ ſilvâ carbonarium fuiſſe; qui fortè feſſus, propter ſpirantium prunarum pyram recubuerit; paſſóque ore ſupinus dormierit. Juxta, rancidi olivi guttum ſtetiſſe; quod ipſi liquefactum & ebulliens in dormientis hiatum crudeles infuderint. Illum inſanè geſticulantem, ſubſiluiſſe continuò; & aliquamdiu mirificum in orcheſtrâ Roſcium egiſſe, donec exanimis procumberet. Sibi verò nullam olim comœdiam magis placuiſſe. Probârunt hanc cæteri crudelitatem; at mitior unus, reprehenſo facinore, mihi imprecabatur, quicquid carbonario contigiſſet, 24. *Crudele genus Latrocinii.*

Quid enim in pauperem juvit jugulum ſæviiſſe?

15. *Nova ſpes.* Si viri, inquit, eſſemus, dudum hoſpitem noſtrum perſecuti, cum opimo marſupio rediſſemus. Qui nunc per noſtram ignaviam elapſus, hanc adeò pro ſe hoſtiam reliquit. Hîc iterum duo illi, equum ſe ajunt alicubi conſpexiſſe, ſeſſore excuſſo per interiorem ſilvam vagari. Qui ſi meus videretur, inſtarent fugienti: inter arbuſta utique reperiri adhuc feram poſſe. Perſuaſum eſt univerſis, ut ſilvam porrò omnem planiùs percurrere: dum priùs tamen alceret percurrere: dum priūs tamen allatum cadaver in ſuū conditorium abſtruſiſſent. Nec mora; attollunt miſerabile funus, inque arborem eandem quæ me acceperat, immittunt. Ità infrà ſupraque aut ferebam mortuos, aut premebam: ipſis illis magè mortuus. Sed, quod erat triſtiſſimum, unius tumuli anguſtiæ tot funera non capiebant. Proinde carbonarius contubernio exclūſus, propè dimidium eminebat; neque ulteriùs abdi miſer, aut cogi quibat.

26. *Novus metus cū* Inde fremere omnes, & mirari, quî fieret? Cùm præſertim memoraret THASIUS, unicum intus buſtuarium eſſe

eſſe, quem ſciret; etſi facilè tamen vel duos latere poſſe. Aſcenderent igitur, & quis cæpta moraretur, viderent. Jugulavit me THASII conſilium, atq; ſpem omnem ultimè affecit. Verùm inopinatò contingit, ut, qui aſcenderat primus, temerè relaberetur; milléque devotionibus tentatam arborem damnaret. Mox alii ſubire, alterque alterius tergum parabant inſiſtere; niſi THASIO rem tantiſper omitti placuiſſet, donec prædam è venatu retuliſſent: tum otioſos poſſe de anguſtiis cognoſcere. Secundùm hæc omnes palabundi in penitiorem ſilvulam decurrere, meq; præter unum univerſi relictum ire. Is erat ille, quem caſus antè paullùm perculerat; ut brachio luxato æger, juxta arboris cuſtodiam reſideret: multa ſecum interim fabulatus; ac præſertim, quemadmodum victor, ſuum dolorem meo eſſet ſanguine depulſurus. Neque ego jam nihil mecum diſputabam. Quid enim agerem? Expectarem latrones brevi redituros: ac tanto cædis cupidiores, quanto diutius illos ludificaſſem? Nempe latibula mox omnia luſtrabuntur; meq; velut è ſtabulo in ſævitiæ macellam producent. An fugam

felici audacia conjunctus.

igitur adorantem? Tanquam non & cuſtos prohibeat; & pecunia teneat; & ſilva deterreat. At certè, inquiebam, ſi cuſtos hic æger, & altero jam brachio captus eſt, quid adeò etiam nocebit? An faciliùs mihi pòſt erit, ſimul omniũ oculos fallere, quàm hanc unius cuſtodiam effugere? Imò enim, aut jam fugiendum eſt, aut continuò percundum. His apud animum decretis, erigor audax, atque onus mihi incumbens dimolior, ſtrepitúq; ingenti quercum inquieto. Ibi res non expectata mihi profuit. Nam cadaver, quod umbilico tenùs prominebat, dum à me vehementiùs commovetur, cæpit manus caputq; agitare, ac velut moliri ſe, foráſque erumpere. Eo conſpecto cuſtos trepidus, & utiq; minari mortuum, aut manes in vindictam ruere, arbitratus, cum elato clamore fugit: ſui liberandi cupidior, quàm mei ſervandi.

27. *Accuſationis epilogus.* In hunc modum ego rejectâ cadaveris ſarcinâ, de meo capulo redivivus exilio, meq; per averſam ſilvulam celerrimè ſubduco, atque ad hanc urbem poſtliminiò revertor. Jamque evaſiſſe periculum opinabar, quando novas irerum copias ex adverſo ſenſi ingruere. Igitur ſolli-

ſollicitus, qui hoſtes eſſent, inter fortuitos frutices abjicior; mortémque timere denuò, quam vix dum caveram, incipio. Non licuit tamen fallere. Nam canum odora ſagacitas viciniam omnem pervagata, latrare, locúmq; in ſuſpicionem vocare, uſq; eò non deſtitit, dum ego me proditum videns, conſtitui extra vallum procedere, ac voluntariam deditionem facere. Sed ipſi me illi canes antevertunt, factóq; agmine in me turbulenti ruunt: hic pedes carpere, ille manus trahere; aliquis etiam auriculam vellere. Quibus injuriis ſubegerunt, vel invitum, exclamare; donec ab incurrentium juvenum globo circumventus, in lucem protraherer. Ibi cùm indubiè moriendum mihi arbitrarer, oculos infelix attollo, & an iidem prædones ſint, requiro. Et ecce vos, id eſt, meos cives eſſe, meóſque familiares adverto. Non ſuppetunt etiamnum verba, quibus animi, tunc mei, ſenſa declarem. Nempe ab orco exiſtere, & ad ipſam ſalutem rediiſſe me credebam. Quid multa? Vos miſerati infortunium meum pro me in latrones univerſi iiſtis: donec ex omni numero hunc adoleſcentem, cæteris fugâ elapſis adepti, in hæc

vincula, ac porrò, quod opinor, ad ſupplicia reſervaſtis.

28. *Innocentis ſeipſũ defendentis oratio.* Dum hæc pluriáque mendaciſſimus accuſator commemorat, nos oculis ad reum intentis, videmus magnis illum imbribus fluere, crebríſque ſingultibus aulam, atriúmque implere; ac ſæpenumero cæli fidem mutis ſuſpiriis poſcere. Tum ego ad LUCIUM, ecquis infelix hic eſt adoleſcens? & quando huc perductus? Pridiè, inquit Lucius, quàm tu veniſti. Cæterùm peregrinus, & nemini adhuc civium noſtrorum notus. Ingemui; & eò, cupiebam plura noſcere; ſed poſtquam judices adoleſcentem juſsêre, ſi quid vellet, dicere; placuit, omnibus omiſſis, auſcultare. At ille non multis jam verbis, ſed lacrimis cauſam auſpicatus, hominum cælitúmque opem implorare, atque nullius criminis conſcium ſe dicere perſeverabat; neq; verò prædones, quos accuſator fingeret, unquam vidiſſe. Et profectò hunc hominis errorem fuiſſe, ut falsâ imagine deceptus, inſontem pro latrone haberet. Se ingenuo ſanguine natum, non ita vixiſſe, ut malis aliquando artibus niteretur. Paucis antè diebus è terrâ Germaniâ profectum, incolumem ad eam

eam uſque ſilvulam perveniſſe. Ibi cùm in portu jam navigare ſe crederet, ludente fortunâ, demum naufragâſſe; & duos, eheu, ſuaviſſimos commilitones alterum poſt alterum; ac mox libertatem miſerabiliter amiſiſſe.

Ego ſimul de amiſſis ſociis inaudii, cæpi erigere me ipſe, & vocem ac vultum adoleſcentis judicare, meúmque jam ANTONIUM liquidò, agnoſcere. Igitur ANNIO, Perij, frater, inquam; hic enim ipſius, quem videmus, meus planiſſimè comes eſt: hunc infelix nudius tertius amiſi. Et quando per me præceps ijt, quin ocyus exclamo, ejusque innocentiam teſtis defendo? Si unà lubet interire, inquit ANNIUS, potes. Nam id quidem unum tu conſequêre. Dein' etiam nobis tua hæc miſericordia incommodabit. Cæterùm omitte; certus nihil hîc ſerium agi. Secundùm hæc quievi; & quid porrò fieret, attendi. 29. *Amiſſi ſocii agnitio.*

30. Pergit commemorare ANTONIUS, quemadmodum ſodalem à foveâ hauſtum, prolapſumque amiſerit; inaniter de mea clade ſollicitus, ſui periculi oblitus. Et utique fame ac ſolitudine exanimatum credens, ſæpe nequicquam

 appel-

appellabat; conſcium virtutis ſuæ, teſtem innocentiæ: uſque eò, ut lacrimas mihi copioſas infelix ſocius commoveret. Interim tamen oppidò geſtiebam, & de GEORGIO cognoſcere, quem alterum è patria comitem mecum eduxeram. At ANTONIUS, me ſatis jam deplorato, ad illum ipſum converſus. Dum opem, inquit, à vicinià poſtulare inſiſtimus, & uterq; ſeu ſcalas apportare, ſeu funes invenire ſatagimus, quibus tertiũ è lacu extrahamus; miſeri in extimâ ſilvâ veſtros eminus clamores accipimus; ſimul faces tædáſq; contuiti, copias eſſe FURIARUM arbitramur; aut lemurum legiones, quibus intutum eſſet vel interdiu occurriſſe. Igitur nocte ſpectróq; territi hac illacque diffugimus; inque latebras nos abdere aliquas properantes, alterum alter amittimus. Et ille ad ſocium utique eſt regreſſus. Ego devotum caput, in hæc à vobis vincula compingor. In quibus quia cauſam dicere jubetis, nihil, quod dicam, invenio; niſi, & vixiſſe inſontem, & periiſſe. Inde in genua prolabi, precibúſque & lacrimis miſericordiam ciere; & pluria, quæ tempus monebat, facere.

Sed illos tamen adeò non miſerabat, ut ſæviores etiam inſultarent, omnibusque repudiatis, ſurdi cæcique velut in Areopago ſententias dicerent. Poſtremò Prætorem videmus aſſurgere, poſitáque togâ pronuntiare, ut adoleſcens latrocinii damnatus, mitiori ſupplicio, quàm nos majorum ſanxiſſet, cicutam hauriret. Quo dicto; Scipionem dimidiatum excuſſit, ſpemque omnem reliquæ ſalutis abrupit. Hîc verò lumentari reus, & ſuperos innocentiæ vindices poſcere; querelíſque & lacrimis omnia complere. Sed miniſtri omnes ilicet properare; alii Juvenem in editum pegma trahere; alii Libitinam adornare, & lectuli Sandapilam afferre; unus denique cum poculo fatali & veneno accurrere. Tunc verò 31. *Damnatio innocentis.*

--- Exterritus amens
Conclamo, nec enim potui perferre dolorem:
--- nihil iſte nec auſus,
Nec potuit; cælum hoc, & lucida ſidera teſtor.

Sed Lucius Anniusque ſtrangulârunt vocem, ne latiùs exaudirer, perque amicitiam rogârunt, ut quieſcerem; eum u-

tique

tique potum ANTONIO nihil incommodaturum. Dum itaq; rogantibus pareo, luctantur miniſtri aliquot, cum capto, nolentémque reſupinant; & faucibus vi diſtentis, per orcam immaniter omne venenum infundunt.

32. *Mors mimica.* Credebam miſer jam occiſum, & amiſſis ſenſibus ſepultum: verùm ille hauſto poculo rurſum exiliit; omnibusque in unum converſis, aliquamdiu cogitabundus ambulavit: ità ut tandem & mihi perſuaſum eſſet, metum veneni inanem fuiſſe, nec aliud, quàm mortem perſonatam. Quare gaviſus, recreâſti me inquam, LUCI: nam demum intelligo fruſtra me timuiſſe. En vivit ANTONIUS, ſibíque ſuperſtes, mimicum funus eluſit. Adhuc loquebar, quando eundem buxo pallidiorem tremere, ac velut vertigine actum conſpicio vacillare; vanéq; morti obnitentem collabi; & pedibus extentis obrigeſcere. Confeſtim omnes effuſiſſimè cachinnantes, rectè eveniſſe latroni vociferantur. Nec erat in tanto hominum foro, præter me unum, qui doloris indicium fateretur. Sic imponitur lectulo mortuus, tegetéq; ſuperobruitur.

33. Peractum ego judicium rebar, & ina-

inanibus querelis ſocio mœſtus parentabam, cùm alius à tergo clamor exoritur, qui rurſus ſtudia turbæ accendit. Præibat imperioſus lictor, plebémque minacibus cubitis dimovebat. Sequebatur frequens peditum acies, quam turma cataphracti equitis claudebat. In hoc omni choragio, homo paganus eminuit, cujus, ut proximè vultum conſideravi, mox eum, eſſe agnovi MENALCAM, quem pridiè ludum habueramus, cùm è Ruſtico regem; indidémq; Ruſticum alterâ metamorphoſi fecimus. Nos cupidi novitatis, locum damus, medióq; circa hominem accipimus. Fit clamor, deprehenſum regiæ gazæ peculatorem; adduci furem Autolycum, cujus rapacitate veſtiarium omne expilatum: torques erepti; armillæ, annuli ſublati: nihil poſtremò melioris fortunæ ſit relictum. Prodeunt teſtes; atque hi ſuis ſe vidiſſe oculis jurant, quemadmodum MENALCAS veſtitu regio ſuperbierit; illi pendentium torquium mæandros, & lucentes in digitis Smaragdos conſpexiſſe ſe, & aureos armillarum hamulos agnoviſſe conteſtantur; certa furtorum argumenta. Ad extremum, facta dictáque omnia repetunt, quæ pridie illi

Ruſticus unius diei ridiculus rex in judiciũ adducitur.

illi excidiſſent. Quibus ille teſtimoniis convictum ſe intelligens, uberrimè lacrimavit; vera eſſe confeſſus, quæ objicerentur; ſed quemadmodum aut acceperit eas opes, aut amiſerit, iſtud neutiquam liquere. Modò fuiſſe, cùm ſomnium crederet; modò in fortunatas inſulas deportatum ſeſe, ibíque veſtitum autumaſſe: ubi novas tamen felicitates citiùs amiſerit, quàm reperiſſet. Quare ſi quid inſcius peccaſſet, non id ſibi fraudi foret. Contrà alii perſeverabant, neutiquam parci oportere. Rem & ſuópte ingenio eſſe nefariam, & ad reliquos exemplo periculoſam, non rapere duntaxat veſtes Principum, ſed etiam perſonas. Quid enim ſub regio ſchemate impunè tentari fieriq; non poſſe? Docuiſſe nuper eos, qui in celebri mercatu hiſce artibus peſſima facinora fecerint. Ea juſsêre judices narrare.

34. *Varietas hominũ, in foro comparentiũ.* Tum Actor; Urbem inquit, amnis alluit, inſtitorum nobile emporiũ, quò primæ terrarum omnium merces importantur. Ibi Serum vellera; ibi Milesiorum lana; ibi Tyriorum purpura venumdantur. Quicquid in auro fulget, aut in argento nitet, aut in gemmis ſplendet, ibi omne emitur. Denique præ-

præter Cælum ibi nihil non venale. Ibidem pecuniæ honor tantus, ut inter aliquos deliberetur, de arâ illi ponendâ, etſi eam, paucorum interceſſione nondum obtinuit. Jam Mercatorum copia, jam emptorum turba, quantam ne otioſus quidem numeraret. Hic Æthiops occurrit: cui gentilis in ore nobilitas. Hîc Arabs oſtenditur, hîc Sabæus veſtitur, quos odor nativus occurrentibus prodit. Alibi Sarmatarum myſtaces, alibi Sicambrorum crines ventilantur. Nunc Indorum ſtridor, nunc Germanorum clamor auditur. Omnes hi illuc confluunt, alii ut mercentur; alii ut negotientur; multi etiam ut furentur. In horum claſſe duo fuêre, de quibus narrabo.

Vernæ appetebant nundinæ, & in rerum venalium copiâ, ſola illos pecunia deficiebat. Circumſpicientibus ergo, quid agerent, ſubiit, ingenia in mercatum acuere, aſtúq; merces inemptas comparare. Uterq; ad rem illam attenti, ſua quiſq; commoda metiuntur. Et alter quidem SYNESIUS, mercatori cuidam prædiviti comperit iter eſſe in Galliam; eiq; rei ſcorteam hippopéram inſtruxiſſe, quâ tria nummûm aureorum mil- 35. *Socius, inſidiandi cauſa.*

millia transportaret. Reſciit agi hæc, audiitq; omnia Syneſius; atque extemplò ſimilem & ipſe bulgã apparat, eámque viliſſimo pondere farcit, &, quàm optimè poteſt, occludit. Inde, equo conſcenſo, appensáque ad ephippii pomum crumenâ, brevi alterum aſſequitur; nec ineleganti officio captum, comiter ad colloquium invitat. Non repudiat comitem alter, præſertim eum, quem facundia commendaret. Cognito deinde, quò tenderet, ultrò in ſocietatem vocat. Hic exorari ſe paſſus, incipit rem ſuam agere, hominibus ſe feſtiviter inſinuare. Et fortè ſermocinantibus è timidâ gente lepuſculus occurſabat; quem inani ſibilo territum ludibundi averterunt. Ibi SYNESIUS tempeſtivè aggreditur fabulam exponere; materiem ex re natâ mutuatus.

36. *Leporum & luporum occurſus ſuperſtitiosè acceptus.*

Nam virum, inquit, didici fuiſſe, rei ruſticæ gnatum, cætera plus nimio religioſum, & ex anili ſuperſtitione NUMAM: qui ſervulo ſub veſperum edixerit, die poſtero pranſus paratus foret: velle ſe ubi primulùm diluculaſſet, lignatum exire, cæduámq; ſilvam convehere. Datum acceptúmque negotium. Jam nox pleraque ſe verterat, & crepuſcu-

ſculum properabat in diem, cùm ſurgit cubitu herus, ſervúmque equos jungere, ac vecturam operi adornare pro imperio jubet. Expergitè auditur, paretur, evehitur. Commodum emenſi pagum, & leporem conſpicantur, qui viâ transversùs intermeabat. Exclamat cum digiti indicio ſervus; & viden', inquit, ut lepuſculus hàc procurrit? Ruſticus, enimverò ſe vidiſſe, eáq; propter obnuntiare, ac domuitionem ſuadere; quando inauſpicatus eſſet leporum occurſus, & qui fermè rebus agẽdis ſequiorem fortunam minaretur. Ita ceſſatum ab opere faciendo, id diei eſt. Alterum apperebat manè, & alterum heri imperium: vectabulum ſervus pararet, ſeséq; in lignationem componeret. Non moratus ille obſequium, ſimul ut illuxit, jam in campos evaſit: inibi, quà pridiè leporem viderat, jam & lupum videt; Territus auſpicio, ocyter ad herum, quid viderit. Ille albam hominis mentem dicere, porroque pergeret, jubere. Nec enim ſe in ejusmodi lupo, niſi FORTUNAE FAVENTIAM agnoſcere. Non potuit alter, quin rideret, ſed ne tamen hero pugnaret, hoc igitur, inquit, agamus. Poſt ubi in ſilvas perventum eſt, Ruſticus

cus abjungere, atque equi unius capiſtrum arbori jubet innodare, ne quò ſe equus corripiat. Inde longiùs digreſſi cœpêre uterque

--- trifidas cuneis diffindere quercus.

Naviter inſudatum operi eſt, tenuitque ea arborum cædes ampliùs horam, cùm ſubinde ad equos recurrit ſervus; invenitque alterum duorum jam exanimem humíque effuſum. Expalluit procul, & cauſam mali ſcrutatus, lupum deprehendit inter ipſa quadrupedis exta pabulantem, ſeſèque ut Adiciali ſaginâ pollucibiliter farcientem. Hîc memor, quid ſuper lupo recenter ineptierit herus, properè ad eundem revertit, vultúque hilariter ficto, cùm rogaretur, ecquid alterum adducere equum omiſiſſet? Bene cum eo factum reſpondit: nam in ejus ventrem FORTUNAE FAVENTIAM immigrâſſe. Icit Ruſticum atrocior jocus; quodque intempeſtivè dixerat, cœpit ſuo fletu, & alieno riſu expiare. His illum veterator fabularum lenociniis occupavit, multáque tempori fallendo confinxit.

Sub

Sub Veſperum in eodem hoſpitio divertunt, lautéq; accepti, inter vina fia tres fiunt. Poſt verò quàm ſatis incaluerunt, mentionem hic inſerit de furtis; quemadmodum mille dolis nocturni Verres graſſentur, marſupiáque excantent? Nam quid ego memorem, quæ paucis abhinc annis uſu venerint opulento cauponi? Vir erat exactæ jam ætatis ſenex, quemque foras ſpectare quotidie crederes. Magna illi parebat familia, & liberorum erat abundè; nec alia res deerat, niſi uxor, quam nuper extulerat. Igitur ſquallorem ſenex retinebat, atque dolenter in viduo cubili ſolus noctes reliquas perſeverabat. Adjecêre oculos aliqui Laverniones ad hujus fortunas. Sed, quòd eum noctis ſtratagematis inexpugnabilem ſenſerunt (ut timida eſt ſenectus omnis & cauta) novos ingenii delectus habuêre: luſtratóque omnium fraudum exercitu, & ubi quiſque tenderet, decreto, in hoſtem duxerunt. Tres erant exercitatiſſimi vultûs nebulones, ad audendum quidvis projecti; & ſi furacitatem ſpectares,

Fures Mortem Cacodæmonẽ & Genium cuſtodem fingẽtes, avarum ſenem ſpoliant.

Non erat AVTOLYCI tam piceata manus.

Ve-

Veniunt hi ſub veſperum; urbem ajunt ſe ex negotio petiiſſe; tantiſper ibi hoſpites fore, donec transfigeretur. Cœnam genialem imperant; eámq; in rem nummos aſperos numerant optimi argenti. Idem altero die faciunt: idem, tertio: ut crederet caupo, Sementem illos argenteam facere.

181. Per eos dies otioſi omnes ædium angulos & quid infirmum, quid validum uſquam ſit, explorant: jam Senis cubiculum, jam arcas nummarias, aut ſiquod aliud auri latibulum erat, ſagaciter indagârant; cùm ex condicto adoriri hoſtem convenit. Curatis proin' lautâ cœnâ corporibus, arma ſumunt, atque in aciem progreſſi, dum caupo ſui copiā faceret, ſub ſignis conſiſtunt. Sub noctis alteram vigiliam, ut rhonchi ſomnum cauponis prodidêre, ANDREAS (hoc uni nomen fuit) cum levi armaturâ in cubiculum irrumpit: MORTIS imaginem appoſito ſchemate mentitus, Linteum à capite in talos defluebat; luridámq; ori perſonam faciebat larva. Ipſe ad hæc gradus grandire; & lævâ ſabuli vitream ampullam prætendere; & dextra miſſile telum vibrare. Ubi cùm hoc ornatu propter lectulum adſtitit, mortuali-

tuali ſtridore ſenem compellat, & migrandum ſtatione denuntiat; ſimul horribili motu lectulum omnem tremefacit. Hîc ſenex & nebulâ ſomni, & imagine ſpectri conturbatus tremere, vocéque exanimi, moram dieculæ unius flagitare. At MORS eò ferocior eſſe. Et

Hac (inquit) *regios eliſit haſta*
ſpiritus;
Hic mucro Principes viros, hic
Cæſares
Ictu potente fodit. Idem pauperes
Evitat, idem divites; dum ſanguine (*tuum*
Promiſcuo lætatur. Hoc telo &
Deniq; caput petetur, I, morere
ſenex.

Vix talia MORS tragico Sipario pronuntiârat, cùm & MATTHIAS irruit, alter hoc nomine latro, Cacodæmonem imitatus; quo plerumque habitu nobis pingitur. Is turbidè in ſenem intuitus, inferis ait devotam hoſtiam ſe quærere; & eſſe jam paratum adventori hoſpitium; jam Stygias thermas, & ſudatorias cellas ferveſcere. Nihil nec ſpei ſupereſſe ſeniculo, nec moræ. Iter proin, & cupitum Orco pabulum fieret.

Quid enim aliud tot vitæ ſcelera mereri? toties cum avaritiæ litâſſe; toties fænebrem pecuniam conflâſſe. Rurſus aquæ injuriis vina temerata; & hoſpitum marſupia mendaciis circumventa; & mille talia; quorſum ſpectarent, niſi ad Tartarorum ergaſtula implenda? nec contentus hæc illi exprobrare; inſuper manus in ſemianimem injicit, remque, quàm tumultuoſiſſimè poteſt, agit. Inter quæ diſcrimina ſenex, ſuperos inclamare, cœlitúmque opem adverſus Orcum urgere; nec non per inducias omnia promittere.

39. Id videlicet ipſum non inani conjecturâ, futurum præſenſerat CONRADUS, qui tertius in ſubſidiis tenebat, alitem cæleſtem indutus; ac proinde, ut tempeſtivum credidit, impulſis foribus & ipſe intravit, ſeque anxio ſeni placidè oſtendit. Nam ſimul adeſſe lætiorem fortunam conſpexit, lacrimans contra hoſtes patrocinium rogavit; ſeq; de cætero in ejus unius authoritate futurum ſpoſpondit Tum verò CONRADUS, homine leniter increpito, atquè, an aurum fraude partum redhibere vellet, interrogato, poſtquam afferri claves, omniá que ſibi ſenſit permitti; ad Lethum Or-

Orcúmque convertitur, atque omnem eorum vim jubet faceſſere, neque porrò ad alumnum ſuum accedere. Reſipuiſſe jam illum à vita priori; ſtipéque multâ avaritiam, & alio item auro veterem uſuram redempturum. Negantibus illis, facturum; CONRADUS, at ego inquit, ipſe, ne quod eſſe dubium poſſit, hîc coràm, quicquid alieni æris eſt tollam, ſuíſque illud dominis clàm reſtituam. Caupone ad hæc omnia annuente, Genius arreptis clavibus ſeras emunit, ſinúſque ampliter auro argentóque farcit. Neque MORS pecuniam aſpernatur; ſed per tenebras vagata, amplam auri crumenam corripit; & ORCUS, dum in cubiculo furit, aliud auri pondus evertit: Seniculo inter hæc nihil hiſcente, neq; peculii ſervandi, ſed vitandi periculi ſtudioſo.

Non potuit hæc omnis tragœdia familiam fallere; quæ ut ſtrepitu excîta, 40.
per herilis lectuli fores introſpexit, inferis ibi conſpectis, elato clamore viciniam imploravit: domũ funeſtis lemuribus obſeſſam; herum morte ſtygéque circumventum aliáque, quæ metus unicuique majora fecerat. Nec ſegniter vicinia ſuppetias tulere; alii haſtas, alii ve-

ctes, alii, quod cuique telum obve*ra* ſumunt, armatíq; in ædes perrumpunt. Ibi latrones ſub onere deprehenſi, de fugâ nequicquam circumſpiciunt. Jam enim altera obſidio cubiculum premebat, interceptáq; itinera vigiliis ſervabantur, verſuſq; in auctores metus erat. Mors tamen, quo dolo unum, eodem omnes conſternari poſſe arbitrata, vertit grallatorios gradus in turbam, telóque minaci aliquos ſibi deſignat: Sed eluſus continuò terror eſt; & Mors valido fuſte ſecundùm tempora feritur, humíque collapſa pœniſſimè occiditur. Mox alius Cacodæmonem

--- incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, & angit inhærens:

nec priùs jugulum ſtrangulare, & ventrem poplitibus urgere deſtitit, quàm ille ſe hominem confeſſus, ludibrium omne aperuit; unáque cùm morte & ſocio poſtridie pependit. Ferunt lætiſſimum id civibus ſpectaculum fuiſſe; quòd Mortem in laqueo, & Orcum in patibulo viderent.

41. *Callidus* His explicatis Synesius, feſtivè addidit; ſe alieno malo doctum, conſueſſe jam

ſe jam olim ſub noctem patrifamilias fortunas ſuas committere. Simul cauponi ſuam hippoperam offert; obſecratque uti ſollicitè à furibus defendat. Et nunquid, ait, idem & tu rogas, frater? cedò huc etiam tuam; viróque optimo hanc cuſtodiam trade. Non abnuit alter; hoſpitíque, nihil ſuſpicanti, quàm communes eſſe duorum ſarcinas, depoſitum tradit. Hoſpes ambos in cubiculum deducit; noctémq; qualem cuperent, precatus, diſcedit. Ibi ex tempore SYNESIUS, quid ſuades, frater; mille paſſus abeſt homo nobilis, qui ducentos mihi nummos debet. Non mittam cras, & tarda hominis nomina aliquando exigam? Hîc frater, ſi tantulum, inquit, eſt viæ, quin ipſe tu diluculò proficiſceris? Nam magni refert, noſtra nos ipſi, an per alios agamus. Mihi quoque cum Conſule negotiũ eſt: quod interim, donec tu redis, confectum ibo. Opportunum id Syneſio conſilium fuit. Quare non contumax, obſequar, inquit; ac planè cras, uti mones, abibo. Inde ſomnum uterq; aut capere, aut fingere inſtitêre. Nam SYNESIUS noctem omnem meditandis fraudibus impendit: poſtea ægrè galli cantum præſtolatus, ſurgit; nec altero

peram cũ perâ permutantis dolus.

ſentiente ad cauponem adit; depoſitum repoſcit; quid convenerit, quoque proficiſcatur, oſtendit. Hoſpes inter duas crumenas dubius, utra hujus illiúsve eſſet: nec alterutrius intereſſe credens, ſimul utramq; promit. At ille haud perinde ſimplex, facilè alienam pro ſuâ corripit, atque opimo ſpolio potitus, in equum; inde in fugam intendit. Hîc quid alter egerit, poſtea quàm deluſum ſe vidit, volo vos per ſe quemq; conſiderare. Certè SYNESIUS, effracto marſupio, uberem pecuniam invenit, deque egeſtate ſecurus triumphavit. Nec ſimplici tamen hoc furto contentus, fænus indidem habere jam cupiebat.

12. *Alia ars Mercurialis, aurum pro plũbo faciendi.*

Igitur comparatis rationibus, & fraudum centonibus inſtructus, ad illam, quâ de diximus, urbem pervenit, in primariâ item tabernâ divertit; & patrifamiliâs è turbâ ſeducto, quid ſui conſilii ſit, oſtendit. Se negotiatorem eſſe, atque illic pluſculis diebus manſurum; pecuniæ ſuæ cautum velle. Si videretur, hanc ſibi operam gratificari, ut tria millia numûm aſſervaret; haud gratis facturum. Reſpondit hoſpes, velle; ſi aurum priùs tranſnumeratum, probè ſignaretur. Idem pridem ad hæc eventa

com-

compoſitus, promit; aggrediturq; pecuniam numerare. Erat autem cum invidiâ multum ac probum: ut ſatis intelligeret caupo, rem ſibi eſſe cum homine pecunioſo. At SYNESIUS poſtquam id omne in capſellam ligneam ſpectante hoſpite conjecit; linóque triplici arctè revinxit, poſtremò ceram miniatulam Hiſpanienſem educit. Deerat ſolùm ignis, quo cera liquaretur, linóq; ſuperfuſa, ſignum reciperet: Eum, quæſo te, inquit, jube à famulo huc aliquo inferri. Abit hoſpes, paullùm; atq; à cubiculi foribus ſervulum vocat. Interim capſam SYNESIUS dexterrimè permutat: ac divitem certè abſtrudit; adulterinam verò alteram è ſinu depromit; plumbeis tantùm bracteolis gravem; pondere autem aſpectúq; ſimillimam priori, quippe quam ex compoſito jam antè ſubornârat. Atque hæc omnia veterator dicto citiùs peragit. Regreditur à limine herus, ſequitur cum lucente cereo famulus: nihil in capsâ mutatum, nihil in SYNESIO reperitur ſuſpectum. Signatur annulo capſa; traditur hoſpiti, locóque tutiſſimo includitur. Mox & SYNESIUS inter fercula poculáque exultare; & hoſpes omnia rariſſima ingere-

re; neuter nec parcere impenſis, nec timere. Triduum valuit gratuitus luxus, & inempta comeſſatio : nec tamen ea potuit ſagina totum impoſtorem explere.

43. *Ingeniũ nihilo ementis omnia.* Nam quotidie per ſepta, perque omnes pergulas vagatus, ſi quid nobile proſtaret, arbitrabatur. Hîc torques liceri, hîc armillas æſtimare; hic annulos emere; Sardonychos in omni mensâ quærere, & pretium magnis Jaſpidibus facere. Quibus omnibus cùm nomina apud diverſos ingentia feciſſet, juſſit unumquemq; ſe ſubſequi; in diverſorio ſoluturum. Ibi putatis rationibus, aliis ſexcentos, trecentos aliis; centum uni, uni ducentos, ac neſcio quæ minora aliis debere ſe cognoſcit. Itaque ad illos, hîc inquit, hoſpes meus, prædem ſe dabit, dum hoc triduo pecunia vobis numeretur. Hoſpes nihil aſpernatus; per verò libenter, inquit, ſi vel alterum tantum exigatur. Creditores præde accepto, qui damnum præſtaret, ſecuri digrediuntur : Synesius ad vinum & luxum; ab his denuo ad lucrum.

44. Nam equo etiam, quem ſtrigoſum oderat, divendito, philippeos capit facilè quadraginta. Alium emit nobili propagi-

pagine,& gente Neapolitanum,cum ni-
tidiſſimo apparatu; aureis non minùs
ducentis triginta; perque eundem cau-
ponem creditori ſatisdat. Inter cœnam,
ait, velle ſe die poſtero pro mœnibus e-
quum experiri, &, ſi quid curſu valeat,
videre. Laudat conſilium hoſpes: alio-
quin fieri, ut ſe impoſturis deluſum ſerò
ſentiat. Nec enim unam equis omni-
bus indolem eſſe; quod aliqui lento ſo-
leant inceſſu ſupetbire; alii inter alipe-
des volare: multi primo ſtatim impetu
ſuccumbere: Eos autem omnibus præ-
ſtare, qui leniter tutóque ſeſſorem ge-
ſtent: Cujus virtutis ſpecimen capi u-
tique debere. Igitur SYNESIUS equo
magnificè inſtructo, cum universâ præ-
dâ proficiſcitur, nunquam rediturus:
multáſque uno compendio res conſecu-
tus; lautè pluribus diebus & gratis di-
verſatus; nummûm duobus millibus ad
prima ſpolia adjectis.

Veſper appetebat, & SYNESIUS ne- 45.
quicquam exſpectabatur. Jamque alter
dies; jamque tertius amiſſo diverſore
abierant; cùm creditores unà omnes ir-
ruere, aurúmque poſtulare. Caupo, abîſ-
ſe, ait, SYNESIUM, & quatriduo jam
fruſtra expectari. Illi de SYNESIO

haud multùm ſolliciti, prædem circum-ſtant, &, quòd pro SYNESIO interceſſiſſet, omnem ab illo pecuniam repetunt. Ille nihil adeò commotus, cùm importunos videret, inque jus vocari ſe audiret, omnia nomina ſuomet ære diſſolvit; & ſyngraphis factis à ſe dimittit; ſatis ſibi cautum arbitrans, dum capſulam vadaretur. Poſtea verò quàm & ipſe reditum cæpit deſperare; pertæſus ad Prætorem abit; eíque quid acciderit, oſtendit: ut capſa reſignetur, orat, quam auro plenam fugitivus reliquerit. Exoratur Prætor, aperitur capſula: & ecce tibi, pro aureis plumbeæ lamellæ, miſerabili ludibrio reperiuntur. Ita vaferrimo ingenio & patratum impunè fuit, & occultatum facinus. Verùm eo ipſo tempore, quo SYNESIUS Cauponem hunc expilabat, alter ejusdem farinæ tenebrio COSMUS, non minora ingenii documenta relinquebat.

46. *Vtile aliis, domino autẽ fallax & perniciosũ do-*

Is de ampliſſimi patrimonii ruinâ, quædam rudera cùm reſervâſſet, quadrigam inſtruxerat, magnámq; nebulonum familiam nactus, in eundem mercatum accurrebat; audaciâ vitæque deſperatione tutus. Nam ut quemque ſociorum induſtriâ ſenſit aut ingenio valere,

lere, aliis atq; aliis præceptis continuò *minium.*
ſibi obnoxios fecit: duosq; ſatellites eſ-
ſe, duos cubiculo præeſſe, alios aliud
curare juſſus, ſecum in opulentiſſimam
Urbem invexit. Neſciebant adhuc ii to-
tius fallaciæ periodum, & quibus arti-
bus rem moliretur Imperator, ſuſpecta-
bant. Sed ille dudum invento, quod age-
ret; ne religionem quoque penſi habe-
bat, dum viam ſibi ad furta ſterneret.
Nam veſtibus alicūde comparatis, qui-
bus perſonatum præſulem ornaret, hæc
denique commenta fabricavit.

Toto itinere, ſi quâ ruſticanum juve- 47.
nem, & plebis Abderitanæ tribulem
conſpicaret, attendebat. Talem fortè in
agro reperit arantem; formâ habitúque
pinguem, cute niridâ, atque ætate adhuc
fermè pubeſcente. Circa erat ſolitudo,
& rei experiundæ magna ſpes. Jubet in
loco omnes ſubſiſtere; ipſe de curru de-
ſilit; cominus cum adoleſcente Morso
(hoc infelici nomen erat) colloquitur;
rogat multa liberè, auditque; dum de-
nique cognito hominis ſtupore, miſere-
ri ſe ait ejus conditionem, qui aſſiduo
opere conficiatur, pecudúmque ritu in
ſilvis optimam ætatem patiatur ſeneſ-
cere. Debere eum liberali ſervitio bru-

tam hanc captivitatem mutare. Cæpit ad hæc congemiſcere Mopsus, & ignavâ manu caput ſcabere: ut facilè conjiceret Cosmus, non deeſſe animum, ſi conſilium ſuggereretur. Offert ſuam illi operam, hortatúrque maturare, & dum nemo arbiter adſit, ſecum effugere. Nec averſatus hortantem ſtupor, ſe, ſi præſentibus meliora promittat, ait ſecuturum. Ille ad ſtomachum adoleſcentis appoſitè campos Elyſios, & otii copiam, viníque perennem pluviam pollicetur. Addit alia complura, quibus ſtolidum adoleſcentem inducit, ut ſtivâ temerè deſertâ, currum inſcendat, facturúmque ſe omnia, quæ Cosmo videatur, annuat. Quam ob rem, ut opportunum credidit, facili mendacio credulum decepit, ut attonſo vertice rasóque togam inſuper pullam injiceret, deque bubulco, Sacrorum Antiſtes repentè appareret. Inde apud omnes unus in honore eſſe; toti familiæ nutu imperare; nõ niſi primis obſequiis identidem coli. At ne fabulam imperitus hiſtrio corrumperet, ſi aliquando foret loquendum, his illũ præceptis formavêre. Daret operem, ut parciſſimè loqueretur; ac nutu potiùs, quàm verbo reſponderet; ità viros prin-

cipes

cipes conſuêſſe. Id verò antè omnia meminiſſet, ut quicquid ab aliis rogaretur, eos rectà ad COSMUM, qui aulæ præfectus eſſet, ablegaret: indidem reſponſa, indidem pecunias, indidem exigere omnia juberet. Placuit adoleſcenti haud vulgare imperium; ac præſertim, ubi multa quotidie ſpecimina dari advertit, non vanæ oſtentationis. Sive enim ſitis proritaret, vini meraci erat abundè; ſive fames urgeret, nihil deerat eſculentorum.

Jam & COSMUS albam mentem ſatis perſpexiſſe ratus, iter, quò inſtituerat, peragit, præmiſſoque equite lautiſſimum urbis diverſorium conducit. Ait: Cœnobii principis venire Antiſtitem; nomen cauſámque appoſitè confingit, expectationem ubique ingentem facit. 48. Sequuntur, equites, quadriga, familia: Ad fores hoſpitii nihil officiorum omiſſum; inter certantium comitum ſtudia perſonatus hiſtrio deducitur, inq; conclave compingitur; duo ſatellites foribus adſtituti, in ſpeciem cuſtodiæ; re autem verâ, ne quid inſcio COSMO dici fieríque poſſit. Secundùm ea negotium cauponi datur, quid lautitiarum à culinâ, quid à cellâ in menſa n dominicam appor-

apportet; quid familiæ deinde præparet. Nuſquam neque operæ parcat, neque impenſæ. Quid ſingula neceſſum eſſe perſequi? Cogitet ſæpè, quem hoſpitem habeat; & ſatis naviter acturum. Caupo ſtatim omnes undique cupedias in focum, inq; menſam cogere; cortem aſſiduâ clade exanimare, & abrogatis Fanniis Didiisq; legibus cænas plus Vitellianas, & culinæ Neronianæ prandia inferre. Illi omnes in unum prodigi, hi ſcienter carpere, hi orbes eleganter ſupponere; aliqui pocula vináque largiter ſuggerere; aliqui alia ambitiosè miniſtrare. Nec verò ipſe ſe Mopsus deſeruit; ſed abdominis patrocinio ſuſcepto, ſtrenuè quævis haurit; miratus ſuam felicitatem, veterémque mendacitatem pertæſus. Abit inter ejusmodi ludos biduum, epuláſque ſomnus, alteráque hunc prandia excepere.

49. Coſmus exploratoribus toto mercatu dimiſſis interim cognoſcit, ubi quibúsq; rebus inſidiaretur. Adit Mercatorem tribus famulis ſtipatus, teláſq; aurei argenteíq; faſtûs magno numero deſignat, quas ſuum ait Antiſtitem velle; licetur omnia, rogátq; tantiſper ea ſeponi, dum poſtero die aſportentur. Inde

alium

alium ex alio fallit, & ut quicquid ſumptuoſum vidit, continuò emit, diémque, quo tolleret, conſtituit. Tum autē, quò ſuſpicionem planè omnem removeret, eò temeritatis eſt progreſſus, ut præcipuæ nobilitatis aliquos, pridiè quàm diſcederet, convivio invitârit; ſplendido illo, atque ſupra expectationem lauto. Ibi ne perſonati hominis inſcitiâ minus proderetur, ſingulos ſeorſim admonuit, caverent cum homine imperito multis colloqui; eſſe truncum Hermam, neq; ullâ re, niſi divitiis illuſtrē; in pago natum, togáque velut exanimē ſtatuam amictum, mores originis ſuæ etiā in magni nominis faſtigio retinere; idque ipſos, quàm primum illum conſpexerint, intellecturos. Super hæc addit alia, quæ placuit. Creduntur omnia, quare altero die coëunt vocati, recumbunt; mirantur, inter ingenuæ menſæ delicias, tam barbarum pectus; neq; voraciſſimæ pecudis ingluviem, neque muti convivatoris triſte ſilentium, nî Cosmus monuiſſet, capiebant. Rogant ſubinde tamen, & hiſtrionem venerati, quædam cum eo modeſtè fabulantur. Iſte hoc unum peritè faciebat, ut omnia ad aulæ ſuæ præfectum rejiceret. Excipis

cipit ubique Cosmus, diſertíſque mendaciis nebulam offundit. Neque tam verſutus eſt aliquis, quem Cosmi hujus præſtigiæ non eludant. Ille ad omnium quæſita reſpondere; ille ab argumento convivas abducere, & quo quemq; vellet, artifex impellere. Idem pleroſque urbanitate mirâ ad ſe rapere, & quoties uſus eſſet, de veterum hiſtoriis non inconcinnè diſſerere: ut cæteri ruſticanum antiſtitem, vel hîc certè ſapuiſſe dicerent, quòd virum tam comem, ſapientémque aulæ præfeciſſet; qui unus ſciret & ſilentium domini purgare, & mores tegere, & ſtultitias corrigere. Poſtremò cùm abundè famem expleſſet culina, de novo magna cellæ vinariæ clades certatim affertur. Ab aliis argentei ſextarij pro culullis ſorbentur; ab aliis congi velut hæminæ ducuntur. Multi urnas amphoráſque ſitiunt, & Campanæ vitis temulentiam avidiſſimis gulis ſtrangulant. Ad hæc mimicus, quem dixi, præſul, lectiſſima bellaria inſcitè populatur, manúque incruditâ jam nuces amygdalas haurit; jam paſſularũ acervos, & Sacchari moles totis cochlearibus vaſtat. Scires M. Porcii nepotem eſſe, & cum Grunnio

Coro-

Corocottâ, in pingui vervacto terram fodere. In eâ omnium compotatione, Cosmi unius continentia miraculum erat: qui vini aut nihil biberet; aut aquâ priùs ita frangeret, ut ejus certè furor exarmaretur. Quo conſecutus ille eſt, ut cæteris temulentis, ſolus apud ſe eſſet, ingenióque liberrimè uteretur.

Hora erat diei nona, quam Germani tertiam ſolemus pomeridianam 50.
dicere. Sub illud tempus cùm convivium eſſet ſolutum, dedit commilitonibus in mandatis Cosmus, viderent, ut equi currúsq; ad poſticas ædes inſtructi eſſent, ſuumq; omnes nutum exſpectarent. Simul aliis aliò dimiſſis, coëmptas pridiè merces undique comportat. Quicquid nobile erat uſquam, aut Babylonii texti, aut Serici fili; aut Tyriæ telæ, aut Coæ rallæ, id omnibus tunc è tabernis advolabat. Sequuntur ipſímet mercatores, & quo juſſi erant loco, conveniunt. Cosmus omnibus dexter occurrit, merces nuper emptas recognoſcit; jubet in ſuo illas cubiculo deponi. Ductis deinde rationibus, quæ apud quemque nomina contraxerit, conſcribit. Æris erat magnitudo grandis, quâ

nihilo

nihilo tamen terreri ſe magis oſtendit, quàm ſi triobulum deberet. Et mox, inquit, hæc omnia vobis nomina expediam. Cæterùm auro malitis, an argento, id veſtrâ nimirum intereſt. Hîc aliqui aurum malle; aliqui philippeos cupere: ille ſe utriſque obſecuturum dicere. Proinde ad herile cubiculum detecto capite ſuſpenſus accedit; admotáqve cominus aure januam examinat. Mox ad creditores intuitus, jam exiturum ſe cum pecuniâ dicit. Inde ingreditur, ac neſcio quid cum hominis trunco fabulatus, brevi regreditur; lanceóq; gradu & ſibilo tenui cæteris innuit, neu quo ſtrepitu ſomnum herilem perturbent. Nam is, inquit, è lautiori prandio potus, altùm obdormiit; neque ipſo jam inſcio depromi aurum poteſt. Sed ſatis ſcire ſe, brevi crapulam edormiturum. Facerent itaque illi, quod conſultiſſimum foret; & vel par horarum interim otioſi præſtolarentur; vel tantulo poſt intervallo redirent. Eſſe hanc pecudis conſuetudinem, ut claves ad commeatum argentarium etiam ebrius aſſervaret. Dixit hoc eâ conſtantia impoſtor, ut rem eſſe omnes crederent. Quare convenit in præſens recedere, tribus-

tribusque poſt horis rurſus adeſſe. Vix pedem ædibus extulerant, cùm properare Cosmus, emptáque omnia juſſit in equos currúſque imponere. Tum ſenſim alii poſt alios rareſcere, perq; pſeudothyron totus cæpit comitatus evadere. Quæ quidem res neque hoſpitem aliquamdiu advertit; & Mopsus nihil metuens, ſuam adhuc felicitatem mirabatur.

Inter hæc appetebat veſper, & mercatores unâ omnes ad condictum veniebant. Circumſpiciunt; nulla uſquam familia; expectant, inanis mora: cubiculo frequentes obverſantur, tuſſique crebrâ ſomnum inquietant: mortua omnia. Demum incipiunt timidâ manu fores cædere; paucíq; ad veſtitũ ſtipitem introgreſſi, vident inter vitra & calices hyænam ſtertere; venerati tamen helluonem, atque ut hanc ſibi veniam daret, precati, cui rei adſint, demonſtrant. Ille, Pſittacus germanus, quam unam vocem didiciſſet; reddit: Irent atque familiæ præfectum conſulerent. Nihil illi repugnant; ſed foras egreſſi, rurſus Cosmum, rurſus comitatum requirunt; Caupo ſuam quoque vicem anxius, ad ſtabulum decurrit, nullíſque ibi neque 51.

equis, neque curru inventis, horrendum inclamat. COSMI cubiculum effringitur; nullus uſpiam COSMUS, nulla prædonum relicta ſpolia: ad ciccum omnia ſublata, fugam manifeſtò prodidére. Hîc jam nihil habere modeſti, ſed periculo admoniti; in diætam quiſque certatim ruere; pretiúmque tot rerum ab uno MOPSO repoſcere. Tenet ille ſuum ſolenne; & quo imperio ſemper ſe defenderat, importunos ad aulæ præfectũ ablegat. Atqui is, inquiunt, dudum fugâ elapſus, omnem ſecum familiam abduxit; Equi, currus, merciúmque tantarum ſarcinæ, quas in tuum nomen coëmerat, nuſquam conſpiciuntur. Ingentia duntaxat debita reliquêre. Tria huic nummûm millia: alia totidem iſti; ſex alia aliis debentur. Sed in familiæ fugâ, hoc certè cōmodi habemus, quòd non eâdem perfidiâ, & tu fuiſti. Omnes uno te non invento perieramus. At MOPSUS, etſi ſtupidiſſimum pecus erat, porrò nō dubitabat, quin ludibrium COSMO fuiſſet: & nimirum huc ſpectaſſe illam obſequiorum fabulam, ut ipſe furti obſes relinqueretur, vadimoniúmque in laqueo obiret: nec præſulem illos, ſed prædem quæſiſſe, qui jugulo ſuo damna

ſarci-

ſarciret. Quare miſerabiliter illacrimans, cæpit veſtes à ſe inimicas projicere & tonſum verticem emortuis unguibus ſulcare; palámque omnibus quis eſſet, & quemadmodum illam perſonam induiſſet, oſtendere. At certè inſontem ſe eſſe, ac temerè inductum, ut Morso depoſito Antiſtitem mentiretur. Parcerent ptoin' homini ruſtico, neque juberent furti exortem, ſupplicii vadem eſſe. Præter hæc, lamentis clamoribúſque omnia complebat. Sed creditores obſtupefacti, poſtquam intertrimentum accepiſſe ſe ſenſerunt, conviciis in illum debacchati, rapi in vincula impoſtorem juſſerunt, quem biduò poſt Judex, querelis ſúsque déq; habitis patibulo affixit? ac ne quis ſupplicio titulus deeſſet, hunc appendit litteris Romanis, antiquis ſcriptum: LVIT LAQUEO, QUI PUGNAVIT DOLO.

52. *Fictè accuſati ficta damnatio & fictum ſupplicium.*

Hæc ubi accuſator ingenti garrulitate recenſuit, concio frequens exclamat, & hujus impoſtoris haud diſpar crimen eſſe: ac niſi MENALCAS damnaretur, impunè quemvis in regio ornatu peccaturum. Conferunt mox capita inter ſe judices, prætoríque tabulam ſuggerunt. In quam dum ille funeſtum

THE-

THETA ingerit, altum eſt ubique ſilentium. Paullo pòſt hanc de ſcripto ſententiã pronuntiat. MENALCAS Melibæi F. Tityri Nepos, quòd teſtimoniis victus, purpurã ſibi, annulos, torques, armillas furto quæſiit, palámque geſſit; nec originis memor, REGNUM de corte ambiit; inſidias Regi, Regióque nomini fecit; eâ de re MENALCAS, aut reſti ſtrangulator, aut feris objicitor, aut veneno necator. Harum illi mortium optio eſto. Hîc multa MENALCAS inaniter lamentatus, quæ ſingula referre pretium mihi non eſt, cùm in liberâ optione nihil, quod eſſet optandum, videret; poſtremò quod mitius credidit, venenum elegit, cunctíſque ſpectantibus perhauſit. Confeſtim illi vertigo, tum caligo; tum lapſus; tum ſenſibus amiſſis, ſopor, mortíſque ſimillima quies.

53. Quibus omnibus rebus, etſi haud parum commovebar; ANTONII tamen mei, quâ reperti, quâ perempti recordatio ſuperabat. Neque nullus etiam dolor erat, cogitare quid GEORGIO meo fieret? Quid enim ſi & illum, inquiebam, par calamitas abſorbuit? aut certè dum ſalutem mihi quæſit, ſuam ipſe

pſe ſibi amiſit? Nimirum hæc viæ noſtræ ſunt divortia! hæc infortunia inauſpicatæ peregrinationis! me fovea ſepeliit; ANTONIUM venenum extinxit; GEORGIUM error certè aliquis fefellit. Jam in communi clade, ſui quiſque obliti, alter alterum deploramus.

Vix ea mecum lamenta peregeram; cùm nova in theatrum ſcena inducitur: quatuor validi carnifices, quorum ora perſonis tegebantur. Hi furcam extemporalem atque humilem erigunt; miſerúmque MENALCAM, tametſi jam aut vi veneni, aut ludibrio ſomni, exanimem, univerſi circumſtant; atque undique ita vinciunt, ut ſubdito pedibus loro, utrimque ad alas perducto, totum corpus arctiſſimè eſſet faſciatum. A quo deinde loro laqueum nexuêre, qui jugulo non tacto, molem corporis omnẽ de furcâ ſuſpenderet. In tam triſti aſpectu & jacentis cadaveris & pendentis, riſus omnium ſpectatorũ ebulliebat Ut planè ſubiret, ipſis etiam Crocodolis eſſe crudeliores. quos humanis ajunt funeribus ita ſaginari, ut tamen illacrimentur Iſti faciunt cædes, & rident. At Lucius, minùs tu ſævos, inquit, appellabis, ubi judicium totum

pere·

peregerint Ergóne inquam, aliud reſtat crudelitatis, quod porrò ſit innocẽtiæ luendum. Et parum his Areopagitis eſt, duo inter ludos funera feciſſe? Ego, ne erres, odi barbariem; atque hinc abeo. Tenuit invitum ANNIUS; &, quæſo te inquit, an potes neſcire hanc illis fabulam agi? Impera dolori; ne & tu in partem ludibrii rapiâre. Nam hoc fieri olim memini, ut quem prætor ad alterius plagas viderat ingemuiſſe, eum arripi, atque flagris animadverti juberet; imbellem dictitans virum, qui ſpectare fortiter non poſſet, quod pueri Spartiatæ paterentur. Auctoravit me deinde LUCIUS, ut inter reliquæ inſaniæ ſpectacula duraturum me promitterem. Cujus me facti mox pænituit.

55. *Nova per ludũ innocentis accuſatio.*

Hæc enim dum inter nos paciſcimur, & exanimis MENALCAS, eo, quo dixi, laqueo ſuſpenditur; tertia quædam victima in ſtultitiæ Circum raptatur; juvenis, quòd apparebat, non è plebe. Qui poſtquam manantibus lacrimis, ſpectantium opem imploravit; ego exſilio amens, vocémque & ora GEORGII mei pallidus agnoſco; quem alterum nuper infauſti itineris & teſtem & comitem duxeram. Is flebili oratione,

ne, ſuam ſociorúmque miſeriam perſecutus; alterum ajebat, altâ quâdam voragine hauſtum; alterum, dum in diverſa latibula ſe metu abſtruſerit, amiſſum: ſe nullius criminis conſcium, in ea vincula eſſe abſtractum. Minùs tamen ſuo, quàm optimorum comitum periculo moveri. Illum enim inter dumeta, viæque errores, nuſquam fortaſſis exitum reperiſſe: Illum autem triduò ſiti faméque cruciatũ, quid niſi in ſepulchro animam utique exhalâſſe? Quæ tamen omnia, ſi ſuo poſſint capite expiari, nulla ſe, tametſi inſontem, ſupplicia formidare. Hæc talia GEORGIUS. Contrà accuſator, homo fingendi dicendíque artifex, ea perinde omnia diſertè elevabat. Diffidere illum cauſæ, atque hos ſceleri ſuo colores injicere; idque ipſum per hos dies in carcere factitâſſe. Cæterùm ſibi ſatis conſtare, quos ille comites aut lapſu diceret, aut metu amiſſos, eos illũ ſuâ manu jugulâſſe; mox cadavera in foſſas, aut inter ſenticeta, ne cædes proderetur, abjeciſſe. Nam in ſuburbanâ certè foveâ hominem heri repertum nuntiari; non fame, quod is fingeret, peremptum; ſed fractâ cervice lividáque facie deformem; ut quem lapidi-

pidibus appareret obrutum eſſe, aut fuſtibus occiſum. Et à quo alio id fieri potuiſſe, quàm à GEORGIO, qui eoipſo loco prolapſum in foveam, fratrem fateatur? Quem tamen, ſi tormentis ſubdatur, brevi, à ſe dejectum fuiſſe, ſit confeſſurus. Ad hæc accuſatoris mendacia GEORGIUS (ut qui me planè perditum crederet) vociferari, meúmque nomen ſupremis queſtibus repetere: & quando pro te, inquit, oppetere non potui, tecum certè, mi frater occumbam. Simul ad judices, agerent, quod videretur: ſe enim chariſſimo capiti eſſe ſuperſtitem nolle.

16. Nihil potuit unquam mihi triſtius videri, quàm in ea rerum facie GEORGIO meam opem negare. Quam ob rem ANNIO, oſtendam hîc vivere me, ANNI & meum GEORGIUM abſolvam? Hoccine, inquit ANNIUS, eſt quod promiſiſti? Quin taces, & innoxiam hanc fabulã ad quintum perduci actum concedis? Hilum iſti omnes nunquam unũ amittent. Secus tu, illis, quanto optimè voles, peſſimè conſules. Impetras hoc à me, inquam, ANNI, quod à me nemo. Ecce mutum. Pergebat interim perorare cauſam actor, reámque turbi-

dè,

dè, ecquo loco alterum comitem amiſerit: rogabat. Cùm ille, quod res erat, reſpõdiſſet; actor, hoc, inquit, eſt, quod dixi; Comitem occidiſti. Et cum dicto, ad funebrem lectulum adducit; vultúq; retecto: Ecquid olim hunc noverit, ſciſcitatur. Videt ſuum GEORGIUS Antoniũ: mortuúmque ratus, humi proſternitur, & ſemianimis vocem cum colore amittit. Poſtremò ut ex pavore ad ſe rediit, denuo multa ſuper ANTONIO queſtus, nullam ſe vivendi cauſſam de cætero habere dixit, quando duos in vita ſuaviſſimos homines perdidiſſet. Verùm judices, ut paucis concludam; eodem ſupplicio damnandum cenſent GEORGIUM, quo damnatum fuiſſe ANTONIUM diximus. Nec mora, pronuntiatur ſententia; affertur cicuta; occiditur innocentia. In hunc modum ubi GEORGIUS pro mortuo ſuccubuit; judices velut difficili causâ defuncti jure diſcedunt. Et prætor duorum Juvenum cadavera ſingulis in lectis componi, atque juxtim in ampliſſima quadam aulâ jubet collocari: Ruſticum id loci ſuſpenſum in patibulo relinqui; atque utrobiq; arbitros eſſe, qui clanculò fabulæ hujus cataſtrophen conſiderent.

Paretur edicto. Alii alias ſtationes na-
cti. Ego & mei ab HERMIO ducimur
unde opportunè utramque ſcenam licuit
contemplari.

57. *Locus ſpectandi & ſpeculi ludibrium.*

Cubiculum id erat HERMII; qui nobiliſſimus inter Palatinos, proximè Principis diætam habitabat. Ibi pauliſper aſſedimus, & diverſa quædam familiariter altercati, videmus famulos cum menſâ bellariis inſtructâ ad nos ingredi, ac promulſidem in aureâ paterâ circumferre. HERMIUS hoc, inquit, jentaculo famem interim placabimus, donec rectam veſperè habeamus. Nemo noſtrûm abnuebat; neq; me commiſeratio uſque adeò tenebat, ut meîmet oblitus de ſiti non cogitarem. Itaq; dum falernæ vindemiæ rorem jucundiſſimo lepore temperamus, duáſq; horas ipſas in jure matutino ducimus; venit HERMII ſervulus unus, ora frontémq; lacer, ac cætera tam torvus, ut crederemus acetum bibiſſe. Sciſcitatur HERMIUS, quibus unguibus frontem fœdârit? Servulus plenus ſtomachi: Quacunque his, inquit, diebus abeo, mihi ſtultitiæ aut mater occurrit, aut pullus. Nam lotus hodie complutúſque veni in forum: adjungit ſe mihi homo impensè garrulus:

Cui

Cui ego, Quid tu, inquam, ad me? Ille, cùm ſimillimi ſimus, quid nî jungeremur? Reſpicio, & ore hominis conſpecto larvam credo me, non hominem videre. Et eho tu, inquam, adeon' ego deformis tibi, ut fratrem agnoſcas? ille, omnino gemellum: & duos utique - - -

- - - fratres Helenæ lucida ſidera.

Damnabam hos ego Mænechmos, & meum mihi os leni manu detorſi, ne quid peregrinæ fuliginis inſcio hæſiſſet. At ille ſpecillum mihi obvertens, juſſit ab illo me arbitro

Iudicium Paridis ſpretæq; formæ teſtimonium capere. Inſpicio exadverſus: video fuliginē toto ore ſparſam, quantam nemo olim Salaſſius induit, cùm toto die fumantes caminos perrepſit. Proinde vehementer erubui, quantum erubeſcere atrato licuit, & rectà ad ſalientem accurro, caputque omne ter vivo flumine abluo. Reverſus inde ad ſpeculum; credidi mémet atramento, aut in loliginis ſepiā laviſſe. Rurſus ergo ad undam: rurſus ad ſpeculum; ſemper meipſo deformior: & hoc toties, donec omnem à fronte cutem deterſi, & ſanguine meo nigredinem confudi. In-

terim circumſtantes mirari, quid toties ad fontem recurrerem? & utique non vultum mihi purgandum, ſed cerebrum dicere. Ego hanc ipſam ſtultitiæ opinionem augere, cùm ex obviis identidem ſcitarer, an adhuc turpis eſſem? Quid multa? ſpeculi ſui mendacio me homo impoſtor, ridiculum urbi facit. Si paululum perrexiſſet, neſcio quem ex me alium facturus; Certè Palladem non feciſſet.

58. *Vxoris, ob ſuſpēſum maritum lamenta.* Riſimus feſtivam injuriam: cùm interim exoritur repentinus per atria clamor. Nos in feneſtras ruimus; indidem fæminam videmus, capillos iratis manibus convellere; pectúſque non perfunctorio luctu plangere. Villica erat, ejus ipſius MENALCAE uxor, quem ſuſpendiarium factum diximus. Nam ſimul audiit maritum in furcam iſſe, ſui impos advolavit, conjugémq; magnis ululatibus requiſivit. Eundem ubi ſublimem conſpexit, enimverò tum fæmina inſanire, MENALCAM vociferans ingeminare: ſe ſuosque liberos jam demum infelices dicere, qui tali aut conjuge, aut parente privarentur. Eum unũ fuiſſe bonum patremfamiliâs & maritorum, ruſticorúmque noviſſimum exem-

emplum: cum eodem omnem probitatem eſſe jugulatam. Cœpit deinde vel cadaver ſibi depoſcere, quando virum recipere non liceret.

Quibus inſanis clamoribus non ſolùm omnem viciniam concibat, ſed ipſum etiam maritum ab altiſſimo ſopore (hactenus enim venenum ſerpſerat) excitabat. Nam ille diſcuſsâ lethargi nebulâ languentes primũ attollit oculos; eosq; ut lacrymis pridem confuſos, tenaci ſenſit glutine impediri, digito detergêre cogitat: ſentit manus à tergo ligari. Exilire dein ab humo, ſeſéque erigere moliens; advertit laqueo collum vinciri: denique corpus omne in aëre librari. Et mirum ipſi videbatur, quomodo mortuus in patibulum aſcendiſſet? Pòſt etiam circumſpicit, uxorémque humi videt ejulantem. Nec ultra ſe tenuit mortuus, quin Urſulam ſuam compellaret. Atque, ô mea, inquit, Caja, quàm luberet colloqui tecum, niſi mortuus jam ſilerem. At tu me paucis abhinc horis, ſi hîc fuiſſes, vivum adhuc repereras. Nunc quando immaniter ſum jugulatus, neque loqui prætereà queo: quin tu certè Caja loquere; & cùm ſubinde ad me inviſes, quæ domi

59. Suſpendioſus reviviſcens, & cum uxore ſuâ è patibulo colloquens.

agantur narra. Num ſegetes maturæ, & quando metendæ? num ſervi in opere faciendo gnavi? & hoc genus alia, quæ mea intereſt ſcire. Tum etiã ubi redîeris, vide cibos identidem afferas & cirneã vini. Nam poſtquã cœpi inter mortuos eſſe, etſi valde ſitio, nihil tamen eſt hujus ad me allatum. Villica, cùm à furcâ fabulari mortuũ audiret, pavida velut ab infernis ſpectris refugiebat. Tum verò, ut vini quoque mentionẽ accepit, miſericordiâ in iram versâ, reſtitit, omnibusq; convitiis ſuſpendiarium oneravit. Viventem, per urbis popinas ſtabuláq; ſemper erraſſe; nullum diem à comeſſationibus poculisq; vacuũ reliquiſſe? iiſque tam funeſtis artibus, peculium omne conturbaſſe: nunc etiam mortuũ adhuc ſitire? id verò peſſimo exemplo fieri. Vix liberis jã viventibus, unde alantur, reliquum eſſe; quid futurum, ſi ſua & mortuis annona ſit procuranda. Igitur mille inſuper laqueos imprecata, parabat è loco diſcedere; ibi nuntiatur fœminæ, decretum eſſe judicibus, virum in ejus gratiam vitæ libertatiq; reſtituere. Sed illa contentis precibus eã gratiam deprecata, ejulans orabat, ne madidum lurconem in vitam revocarent, à quo

à quo mortuo ſuam ipſa crumenam ægrè defenderet: cum certè ſimul laqueo videret expeditum, ſe ad laqueum decurſuram. At maritus, ſi viverem, inquit, hæc mihi tu vipera impunè non inſanires. Dixit deinde egitq; talia MENALCAS, quæ ridere etiam Craſſi, & ſpectare HERACLITI voluiſſent.

Noviſſimè mandatum dedit nobilitas, ut de furcâ denuo deponeretur. Ubi plus pæne laboratum eſt, ut vivere ME-NALCAS ſe crederet, quàm antè, ut mori vellet. Quanquam ad extremum ei perſuaſit pecunia, quam Princeps injuriæ farciendæ dari juſſerat. Eâ ſumptâ, ut viventis ſpecimen aut daret, aut caperet MENALCAS, non diſtulit ad cauponam accurrere, neque priùs inde excedere, quâm in potu omnis pecunia decoqueretur. Nam eodem adhuc die LUCII ſervulus, cùm præter porticum publicam præteriret, eum vidit in ſordido fimeto decumbere, ubi mollem ſibi culcitram & odoriferum pulvinū jam potus quæſierat. Jacebat autem cætera ſepultus, ac ſolo capite ex plumis ſuillis extabat, mortuus omnino, niſi rhonchi viventis indicium facerent tanti, qui ad alterum pænè lapidem exaudirentur.

60. *Sordidiſſimè ebrii ſchema.*

 Erat

Erat os oblitũ farciminis aruinâ, & cereviſiæ ſalivâ labra ebria ſpumabant;& halitus inde, quantus ex Aetnæ furno. Id temporis per viciniam canis errare, & oſſa alicubi viſus eſt in merendã quæ-rere. Commodùm is ad hanc quoq; popinam delatus, advertit in fimeto feram jacere;& porcum utique ratus, non magnopere erravit. Subit ergo & adipem ebrii oris exſertâ linguâ perhumaniter detergit, omnémque pinguedinem officiosè lingit. Contactu perturbatus MENALCAS cæpit in ſomnio tonſorem putare, qui mentum ſibi barbámque, non ſanè per pectinem, raſitaret. Quare quæſo te, inquit Magiſter, mitiùs age, barbámq; mihi non omnem tam ſtrictim adrade. Simul è ſtomachi culinâ fruſta aliquot ſemeſa largiter regerebat. Quæ omnia canis, ceu liberale congiarium nactus, pergit lambere, hominique ad os extergendum, ſuum linguæ ſudarium accom̃odare; nec ab officio priùs abſiſtere, quàm ille de ſomno excitatus, vidit, quàm bellum alumnum nutriret.

61. *Philippi ac ſocio-* Verùm hæc, quæ dixi, dum in atrio palatii geruntur, haud minor in aulæ interioris diætâ mutatio conſpicitur. Nam

Nam ibi & ANTONIUS meus, (quem è duobus priorem, ſimulata mors ſopierat) remittente veneno, evigilabat. Is diu ſtupidus, atque ubi locorum degeret, ignarus, cùm timidè omnia circumſpexiſſet, tandem vivere agnoſcit. Et inſperatâ ſalute gaviſus, è lectulo proſilit; vocémque colligit magno miraculo ſtupefactam. Sed ei cùm nuſquam ullus occurreret, quem conſilium rogare dubius poſſet: advertit pallidum juxta ſe funus recumbere. In quod ille propiùs intuens, ſuum continuò GEORGIUM videt; ſocium nuper in fugâ amiſſum, ſéque inſcio captum, atque ludicro item judicio necatum. Quare, damnatis iterum gaudiis, incipit optimum ſodalem deplorare. Et nempe in hoc miſer, inquit, revixiſti, ut GEORGII tui triſtiſſimum funus aſpiceres? In quâ voce, defectus ſuper illum incidit, longóque leſſo amiciſſimum comitem planxit: denuò aut mortuum luctu crederes, aut moriturum. Sed enim res multò aliter evenit. Quippe ſuperincumbente ſocio, GEORGIUS paullatim incaluit; ruptíſq; ſomni induciis, vigiles oculos erigens, ANTONIUM ſibi vidit incumbentem, eum, quem paucis

rum inopinatus conventus & agnitio, ac lætitia.

ante horis exanimẽ in theatro conſpexerat. Ac primùm Morphei ludos, & inanem ſomnii umbram ratus, vehementer inhorruit. Tandem ut oculorum fides aliquando conſtitit, diriguit viſu in medio; & longo poſt tempore, veráne te facies, inquit, ANTONI? vivíſne: aut ſi lux alma receſſit, PHILIPPUS ubi eſt? Dixit: & priſtini doloris immemor, in complexum iit ANTONII; alterq; alteri reditum in vitam amiciſſimè gratulati; nullâ porrò curâ cruciabantur, quàm quòd me adhuc uno carebant. Id ſolùm gaudii magnitudinẽ temperabat. Quibus ego de me ſollicitis repentè conſpicuus, in aulam irrumpo; elatíſque clamoribus ad ambos,

Vivo equidem, vitámq; extrema per omnia duco!
Heu quis nos caſus? quæ vis immanibus oris
Applicat?

nec plura locutus, alterum dextrâ, levâ alterum comprehendo, & duo mihi cariſſima capita arctiſſimo nexu adſtringo. Cæteri quoque commilitones cum ANNIO LVCIOq; accurrunt, & nos lætitiâ geſtientes univerſi circumſtant. Deinde

inde ut novos hoſpites HERMIUS ſalutavit, in idem cubiculum, unde tragœdiam ſpectaverat, omnes reducit. Ibi, poſteà quàm Socios tandem eluxi, gratulabundi cæpimus inter nos, quid cuique ſeorſim evenerit, recenſere. Ego meo in foveâ metu, & urſi adjacentis contubernio, quæq; alia per noctẽ contigêre, denarratis; ad GEORGIUM ANTONIUMq;, nempe vos inquam, in illo me Tulliano reliquiſtis : ubi nihil deerat, quàm ut Tullius aliquis hunc Lentulum indictâ cauſa jugularet.

UTOPIÆ DIDACI BEMARDINI.

LIBER SEXTVS.

I.
Nocturnæ confabulationis pretractio.

HÆc talia cùm Philippus, priùs utique ſæpe meditata, nuſquam interrupto ſermone facundiſſimè retuliſſet, nox ad umbilicum jam erat. Videbatur illi proin tempus ipſum ſomnos ſuadere. Et eramus fatigati ambulando. Sub proximam ergo arborem in herbas abjecti, quieſcere paulliſper volebamus, ſed non ſinit curioſitas eſſe quietos. Igitur quid poſtea factum eſt? inquit Hugo. Poſtea facta eſt nox, ait Philippus. Nempe in vulgo: hæc eſt omnium fabularum clauſula, ait Hugo. Sed omitte jocum, fabulam pertexe. Mox Philippus: ſi mihi aut ſomnum non cō-cedis, quin Bemardino aut horam dormiendi, aut dicendi das locum? Tum ego, Videris mihi Philippe, inquiebam, non noſſe ingenium meum, qui audius tertius me meridiantē oppreſſiſti, nunc me-

mediâ nocte miſeraris vigilantem? Ego de illo hominũ genere ſum; quod, cùm nihil negotii habet, dormit; ſemper vigilat, cum occupatur. Et aures meæ tam citò non laſſantur, ac pedes; præſertim quando placet, quod audiunt. Igitur dicendi locum non poſtulo; & te dicente, non dormio. Eccum, inque, atq; precariam hanc mihi operam da, quando Cimerium meum iter adeò ſcitè extraxiſti, ut vel Philippus in Bemardino, vel Bemardinus in Philippo locutus videatur. Ut plena vaſa citò liquorem profundunt, ubi via laxatur, ſic Philippus, in quo fabulæ adhuc multæ bulliebant, facta dicendi poteſtate, ſummatim repetivit, quod ſupra de HERMII cubiculo, deq; ANNII & LUCII caſibus, ſuoq; in foveâ metu, & urſo & carcere memoraverat, ita rei ſeriem continuavit.

Poſt has fortunas meas, cùm me à GEORGIO ANTONIOque relictum queſtus eſſem, excepit ANTONIUS, longéq; triſtiora perpeſſum ſe demonſtravit. Nam ſimul abs te, inquit, ego meusque hic GEORGIUS receſſimus, ut ſcalas alicunde, aut opem à ruſticis peteremus, eoq; officio te nobis reſtitueremus; territi equorum fremitu, qui propinquus ingrue- *2. Quomodo initio perſtricta ſociorum ſeparatio contigerit?*

ingruebat, effigimur; vocéſque hominum & latratus canum promiſcuè audimus. Tum incerti, quid conſilii caperemus, per tenebras alter ab altero dilabimur. Atque ego mihi, dum magis à canum ſolertiâ, quàm latronū ſævitiâ metuo, ne quà humi abjectus laniarer, in arborem temerè aſcendo. Ibi ſpes erat, ſeu canes fallere, ſeu donec turba præteriſſet, quieſcere. Jamq; adeo de loco ſuperiori, ſicubi Georgius ſequeretur, circumſpiciens, nuſquam ullū video. Anxius proinde inclamo, idque iterū, idq; ſæpius contentè facio. At nuſquam ille jam eſſe, nec reſpondere. Ego me Euryalo amiſſo celeriter verto; ac deorſum, arborem remetiri aggredior; cùm deniq; in viciniâ faces & tædas, & laternas undique relucentes aſpicio: ac mox canum ruentiū agmen, & venatorū legionē, & equitum alam. Enimverò hic mihi frigidus horror iit: ut mutato rurſum conſilio, ad proceræ arboris cacumen quàm occultiſſimè contenderem? magis meam vicem anxius, quàm ſocii ſervandi ſtudioſus. Interim ſubeunt illi: & ego nemini viſus, omnia ſupernè deſpicio Monſtra hominū mera, & vel interdiu noctem factura, niſi facibus uteren-

entur, Credidi primò Bacchũ de Indis
riumphare; quòd alios thyrſi fulciebãt,
alios hederæ veſtiebant. Nec argumentum
ſuſpicioni deerat, anima fætens,
quæ temulento halitu odorem vini circumquaq;
differre, meque ebrii ructûs
graveolentiâ tanto incipiebat intervallo
occidere. Igitur ſudario nares offercio,
& quid præterea fiat, obſervo.
Hîc ecce tibi, quâ campi planities porrigitur,
agmen omne conſiſtit; & modò
in orbẽ circumfuſi vaniſſimas artes oſtentare;
modò in partes digreſſi ex adverſo
concurrere: iterũ ut ſi choros ducerẽt,
laſcivire: Mox manuũ plauſu unà
omnes viſi adſtrepere, mox ab intemperanti
riſu in ſilentiũ omnes conjurare.

Inter hæc aliquis draconem è ſerico factũ, cum volanti ſyrmate ventis permittit; qui tenui filo retentus, celeriter ad nubes uſque evehi; rurſumq; præceps ferri fulminis in ritum cernebatur. Ab alia parte aquilam ars eadem ſuſpenderat, cum dracone comittendam. In hunc illa ferocior inſilire, & ungues viſa roſtrumq; acuere. Ille oculis micantibus excandeſcere, & jam linguæ cuſpidem vibrare, jam ignes è faucibus ſpargere: jucundo quidem ſpectaculo, ſi oculorũ libertas eſſet, Nunc mihi omnia metuẽ-

3. *Ignes miſſiles.*

ti ni-

ti nihil adeò placebat, ut formidinem poſſet temperare? etſi imperabam mihi tamen ut durarem, & quò evaſura comœdia eſſet, viderem. Jam atrociter aliquamdiu pugnatũ in aëre erat, & aquilã validior hoſtis fugârat; cùm repentè miſſiles volare ignes, & malleoli per inania currere, globiq; flam̃ei conſpiciuntur in nubibus errare. Nec unus erat igniũ aſpectus. Alii enim cum ad ſum̃a perniciter evolâſſent, inter horrenda tonitrua dirupti quaquaversùm exſiliêre, piceisque imbribus impunè depluerunt. Alii per arcuum ſpatia curvati, aut obliquè per aëra gyrati, glandes innumeras fertili partu profudêre; ut mirarer ab unâ matre tòt erumpere liberos poſſe. Sed præcipuè erant ignes, qui, cùm in ſublimi relucerent, leonũ imagines aut Urſorum facies perſpicuè repræſentabant. Uno etiam Utopiorum inſignia ſic exprimebantur, ut peritum oportuerit Apellem eſſe; qui tam ſcienter in igne pingeret.

4. *Ridicula capiendi occaſio.* Verùm ego dum in hanc ſpectaculorum voluptatem totus inhio, fortè Sciurus cum Catulis tribus ſupra caput è nidulo proſilit, totáque arbore perreptans tumultuatur. Mihi lamiæ viſæ ſunt cùm pul-

ullis perſultare, aut Orci ſoboles juxta me nidulari. Ita priuſquam animo conſtarem, amens exclamo: Simul cedente pedis veſtigio ruere incipiebam, niſi fortè ramum grandiuſculum complexus: utrâque manu inhæſiſſem: cætera planè ſuſpenſus, & niſi quòd carnifex deerat, jam damnatus. Illico totam aciem, & timentis clamor, & fragor labentis in me unum convertit. Qui pendulum aliquamdiu, admotis facibus, contemplati, cùm feſtivè in me multa dixiſſent; nomen patriámq; ſciſcitantur. Ego, ne in equulei quæſtione torquerer, tametſi omnia confitebar, nemini tamē perſuadebam. Sed pro latrone habitū, ſapuiſſe ajebant, qui ultro ad laqueum fugerim, & in eâ furcâ latrocinium expiare properârim. Quia verò nondum ejus artificii gnarum me videbant, ſe operam mihi adjutabilem daturos, & carnificem multò peritiorem oſtenſuros. Ità perterritum de furcâ deripiunt, injectisq; vinculis, eò, quò vidiſtis, pertrahunt. Atqui hæc procemia ſolùm calamitatis ejus fuerunt, cujus vos hodie cataſtrophen ſpectaſtis. Quæ enim medio intervallo acciderint, deinceps memorabo.

Cùm

5. Carcer, & ejus incolæ. Cùm à venatu me in urbem abſtraherent, cæperunt capite obnupto, ne quid me agnoſcerem, omnibus oſtentui habere; & cachinnis ludíſq; fatigati, neſcio quas in ædes poſtremò compingere. Ibi ſpleniis oculorum abjectis ut circumſpexi, video locum ſquallore ac ſitu deformē, longè infra terram recedere. Simul audio catenas & vincula ſonare. Occurſant cadaverum veriùs quàm hominum ſimulacra, ſenes duo, macie exeſi, & cute aridâ ſicciſſimam famem teſtati: quos ego ituros in me timebam, & epulis Thyeſtæis cænam facturos. Mox juvenes apparent pallidi tres, horrentibus capillis & ſordidis centonū laciniis tecti; quorū eorundem latera ferreis cingulis vincta, & colla non exiguis ornata torquibus facilè indicârunt, in quali palatio verſarētur. Et ii, me conſpecto, altùm congemuêre; alterq; alteri, hem, inquiunt, & hic ad ſupplicium adoleſcens infelix raptatur. Utique aut parentis decrepiti jugulum hauſit; aut comitem ſuum parricidali ferro trajecit; aut aris certè ſacrilegas manus admovit, ut qui ad nos adjungatur? en coloris ingenui vultum! en frontis honeſtæ ruborem! Quis in ore tam mo-

modeſto vel furem quæreret, vel latronem timeret? Hæc me omnia audientem ita terruerunt, ut dubius aliquamdiu crederē, in orci veſtibulum me veniſſe, ubi cum inferis Manibus pœnas luerem. Tandem reperi teterrimū certè carcerem eſſe, locum furibus ſicariisque infamem. Jam volo vos cogitare, quid animi tunc hoſpiti huic fuerit? cùm præſertim & catenæ imponerentur, quibus arctiſſimè ad cippum religabar; & de furfurum ſiliquis cænulā habeiē, quâ refectus noctem exigebā. Et vos quidē hæc homines urbani ridetis! At mihi nox omnis inter lacrimas ducta, nec lectulum afflicto, neque ſomnū fatigato permittebat. Sic vigilante me, meique infortunii momenta numerante, nec cæteri quidē dormiérunt; ſed alia ſuper alia percontati, ut noctis tædia fallerent, ſua inter ſe facta facinora recognoſcebant. Quæ primùm ego contemnere; neque in meâ tragœdiâ defixus, comicas audire fabulas cupere. Poſt autem ut ea ſenſi dicere, quæ quamvis ærumnoſo poſſent ridicula videri; vici ego me, ut omiſſo pectoris tumultu, alienas luberet ſtultitias auſcultare. Igitur Cosmus, triū, quos dixi,

juve-

juvenum maximus, ſuæ cladis originem ſic narravit.

6. *Arcis deſcriptio.* Arx, inquit, in hujus eſt oppidi ſuburbano, ante omnes, quas hæc provincia miratur, amœna. Cœnationes ibi ſunt amplæ quatuor & elegantes; quæ denis feneſtris ſolem naſcentem excipiunt; totidem aliis ſpectant fugientem. Cubicula circũ undique habitantur; ſubſtructis ædificio apothecis, quæ ſingulę præaltis laquearibus fornicatæ, perpetuis frigoribus obſidentur. Ambit arcem felix pomarium; quod triplici labyrintho diſtinctum, omnium & oculos illectat, & pedes illaqueat. Blanditur præter cetera pyrus, cujus poma ad prodigium mitia, non, uti pleraque manduntur, ſed cum dentium invidiâ propemodũ bibuntur. Circum arcẽ uberes aquæ in piſcinam coëunt, altæq; eæ ſtagnant, nuſquam vadoſæ.

7. *Servi fidelis ſeductio & furtum.* Illic puerum contigit, cùm piſcibus inſidians miculas objiceret, decepto veſtigio præcipitem interire. In hujuſce pueri locum ego ſuffectus; annis abhinc novem, hero nobili operam dedi; gnavam primò ac diligentem, ut fermè aſſolet. Quibus ſtudiis ita me hero probavi, ut cubiculo præfectum, denique

& au-

x auri argentique cælati eſſe cuſtodem juſſerit. Quo ipſo in munere ſerviebam haud minùs liberaliter, donec familiaritas me quædam, & improborum neceſſitudo corrupit. Erat ſervulus ibi verſutus, qui in cellâ vinariâ curabat, res omnes juxta ſimulare ac tegere doctus; iſque etſi perpetuo vino maderet, hero tamen abſtemius credebatur. Pellexit hic fortè in ſocietatem alterum, domûs diſpenſatorem; neque illum ad fraudes rudem. Qui conjurati cùm aliquamdiu licenter helluarentur, noctu temerè à me deprehenduntur. Nec dubii, quin res ad herum continuò perferretur, nî elinguem me redderent, inſiſtunt precibus, ac mox etiam pretio ad perfidiam ſollicitare. Ego auri luce, quam oculis objecerant, cæcatus, deſii repentè videre, deſii audire, deſii nuntiare.

--- *Ille dies primus lethi, primusq; malorum*
Cauſa fuit ---

Nam illi aſſiduis deinde obſequiis devinctum, noviſſimè ad majus flagitium perpulêre: ut unà potare, unà comeſſari inciperem. Brevíque effectum eſt, ut

magis

magis jam illorum ſilentio egerem, quã ii meo. Ipſe enim eos, ni quotidie nepotari pergerent, ceſſatores & inſtrenuos objurgans, ultrò inſtigabam: nuper diſcipulus & tiro; nunc omnium hortator ac magiſter: ut, repentè peſſimus, Adagio fidem ademerim. Quod verò mirum in primis erat, paullatim & dominici auri lubido me capiebat; ut, qui nullâ priùs furti cogitatione fueram pulſatus, jam oculos, jam animum, jam poſtremò manum in herile argentum conjicerem. Aperio conſilium duobus: oſtendo, quid, & quemodmodum ſit agendum. Probant ſententiam, Conjuramus. Et alioquin eò res pervenerat, ut, conturbatis rationibus, aut fugiendum nobis ſciremus, aut pendendum. Quin ergo pergimus, inquam, & luculentiori vadimonio furcam nobis obligamus? mitior hoc judex erit, quò citiùs ei de cauſſa liquebit. Empta jam reſtis eſt. Quicquid ſuperaddimus, omne in lucro erit. Hâc oratione excitati, & tempus rei patrandæ opportunum nacti, clàm argentum herile aurúmque compilamus: humíque defoſſum ſuperobruimus, tantiſper, dum in tuto conſiſteremus. Interim, ne qua ſuſpicio nos

in ſci-

in crimen traheret; Scrinia, quæ clavibus egómet meis recluſeram, dolabris concidimus, ut vi expugnata, furéque externo direpta viderentur. Iuxtà valvas, in publicum ſpectãres, effringimus, ſcalisque admotis, nec non calice minuſculo, ceu temerè, propter viam relicto, crimen à familiâ in exteros averti-mus. Rebus omnibus ex ſententiâ geſtis, audacter eventa exſpectamus.

Sole poſtmodum orto, & familiâ per arcem diſcurſante, facti furti indicia reperiuntur. Illicò ad herum omnes. Accurrit; videt emunitas ejus cubiculi valuas, ſcalisque tentatas: ac ſtatim id, quod erat, metuens, eodem irrumpit. Reperit pertuſas undique arcas; & quicquid argenti facti aut auri erat, direptum; pocula, calices, torques, orbes ablatos. Exclamat: properamus: ego inter primos, dolens capillos convello; pectora pugnis cædo; ipſiq; patrifamilias miſerabilis fio. Certè cùm omnibus amiſſis ubique auctor quæreretur, ego neque rogatus de furto, neq; ulli ſuſpectus unquam fui. Non potuit tamẽ quin ejus damni fama ad vicinos, indéq; ad diſſitos etiam pagos manaret; decreto præſertim præmio, ſi quis fu-

8. *Furti propalatio, & inveſtigatio.*

rem indicaſſet. Ibi nos veteratoris cujuſdam temeritas in ultimum diſcrimen adduxit. Is, patrimonio per luxum adeſo, cùm nihil ſui reliquum videret, quo culinam de cætero animaret, fecit, quod Apicium audiit feciſſe: abjecit ſpem vitæ, modosque iniit omnes, quibus ſciebat mortem vocari: id unum fugiens, ne ſibimet ipſe manus afferret: præcipitia, pugnas, bella ultrò appetebat. Neque his tamen exorare mortem potuit, quin per omnes caſus incolumis penetraret. Nam in acie hoſtes illum ceu Sacroſanctum refugere; in pugnâ gladii eminus hebetati langueſcere; caſus ipſi & ruinæ erigere hominem credebantur. Nam quale illud eſt, quod unum nuper in viciniâ contigit? Ejus, tu Strophe, quando teſtis oculatus fuiſti, age, illudque his, donec ego reſpiro, denarra.

9\. *Ex feneſtra lapſus aliũ opprimit incolumis.*

Tacente Corso, nullum, inquit Strophus, hominem vidi, qui unus & felicior, & felicitate indignior. Potus ille, & lautiſſimè fartus ut non ita pridem in popina propter amplam altámque feneſtram aſſederat, cæpit paulatim vini ſomníque caligine perturbari, & de ſolario præceps in publicum labi. Saxum

indi

odidem dejectum rumperetur; at ei urconi, quid evenerit, audite. Conclamamus ad viſam ruinam omnes, nec aliud, quàm funus hominis expectamus. Sed caſu Senator id temporis præter parietem ibat, nihil ſibi ab ullo fulmine metuens: Super quem comiſſator hic totus incidens, mole corporis afflictum ita perculit, ut ipſe de ſopito vivus reſurgeret, Senator è vivo mortuus jaceret. Magna inde extitit populi concurſatio; & homicidam lugens filius ad judicem rapiebat. Accuſat vehementer, & chariſſimi parentis manes in vindictam evocat. Nec ille factum infieiatur; ſed rem, ut erat geſta, perſequens, oſtendit ſomni flagitium id fuiſſe: Se aut abſolvi proin' debere, aut lege talionis condemnari. Cùm diu lis traheretur, juſſit mitior judex, duos ex æquo & bono inter ſe tranſigere. Tranſigit cum accuſatore potor; ut ille necati parẽtis ultor, inter ejuſdem cauponæ feneſtram aſſidens, dormiensque de Solario itidem deruat: iſte fortuitò præter tabernam inambulans, ab altero ſuper incidente opprimatur. At ille maluit inultũ parentem eſſe, quàm hâc cum irâ vindicare. Omitto ſimilia

de illo belluone plura. Tu modò, quod agere dudum inſtituiſti, perge, & telam exorſus, pertexe.

10. *Proiectè audax & mendax promiſſio.*

Rurſum ille: Hunc ajo ipſum decoctorem nobis ſpem omnem è manibus extorſiſſe. Cognito enim præconio, quidque amiſſum eſſet, quidque indici decretum, ſic ille ſecum reputabat; aut hâc, aut nullâ poſthac opportunitate voti ſe poſſe damnari; ut poſt genialem aliquot dierum luxum, animam exhalaret. Igitur, ut erat lacer, atque undique deſperatus, accingitur viæ, ad arcem proficiſcitur, ad loci dynaſtam deducitur. Ille, conſpecto hominis ſquallore, ne quid impoſturæ ſubſit, ſuſpicatur: nam, neſcio quid, habent ſordes cum mendaciis familiare. Verùm hoſpes linguâ promptus, & eo mendacior, quo cupidior mortis, magnas artes jactare, ſordidíq; cœpit pallii ſapientiã extollere: denique triduum paciſci; quo toto, ſi dapum vinique abundè eſſet, furem indicaret; ſi falleret, enimvero ipſe pro fure in malã maximam furcam iret; Laudat dynaſta, pactáque firmat; ac ne impoſtor veniam mendacio ſperet, in ipſo arcis atrio patibulum jubet erigi, ubi aut indici pendendum ſit, aut furi: cætera

cætera hoſpiti, quæ velit interim omnia præberi. Inter hæc pacta, mihi jam carnifex imminere, laqueumq; nectere eſt viſus, quo ſublimè penderem. Nam quid ſi, inquiebam, duorum alter ſe inconſultò prodidit? aut ſi utique hic malis artibus nitendo, hominum arcana pernovit? Et ferunt certè vivere alicubi aliquos, qui eminus audiant, ſi quid Junoni Jupiter in aurem garriat. Aliquos item,

- - - qui poſſunt rumpere terras,
Et ſtyga transmiſſo tacitam deprendere viſu,

rurſum aliquos, quibus omnia ſoboleant. Quis vetat hunc de illis ſagacibus unum eſſe? His mecum ſolerter penſitatis, non lubuit porrò cunctari: rectà ad meos avolo, quoſque furti conſcios habui, etiam timoris ſocios quæro. Hîc illi me bonam habere mentem, neque ab eo nepote quicquam jubent metuere. Fallacias hominis eſſe meras, & in ejus caput redituras.

Quem enim in viciniâ eſſe, cui obſcuræ ſint ejus fraudes? Et nuperrimè adeò, cùm ædes, quas unas gula reliquas fecerat, venumdaret, ſatis didiciſſe, 11. *Mendacis de domo vati-*

Ratiocinaturi excuſatio. ſe, quàm ſiniſtra mendacia parturiret. Aedium earum emptor, neſcio quis, indicare pretium juſſerat. Popoſcit decoctor numûm ſeſtertium millia quadraginta. Neque abnuit emptor & velle ſe oſtendit; dum priùs earum inſpiciendi copia fieret; an alicubi vitium parietes duxerint, cæteráque an ſarta tecta ſint. Morem gerit cupienti, hominémque per ædes quaquaversùm deducit. Hîc ille, malè materiatam domum dicere, & ingentes fatiſcentium parietum hiatus commonſtrare: ac vellem tamen, inquit, ſi per has mihi parietinas liceret. Nunc vereor ne magno mihi non tam domum, quàm tumulum emam, méque futurâ ædium ruinâ ſepeliam. Et viden', ut omnia caſum minentur? Tum alter, atqui ego damnum, inquit, ejus ruinæ præſtabo: nî futurum priùs eſt, ut caſum tibi ſuum edicant, quàm in ruinam eant. Igitur pretium, quod dixi, convenit; domus emitur, ac poſſidetur. Proximis pòſt diebus, calcem jubet novus paterfamiliàs ſubigere, ac cæmento omnes illas rimarum cavernas opplere. Jamque adeò correctam ædium vetuſtatem rebatur, cùm, ecce tibi, ruina domûs conſequitur, inque unam omnia molem ſubſi-

ibſidunt. Quo damno offenſus excanduit emptor, uſq; adeò, ut hunc nepotem in jus vocaret, & illi cum cõvitiis in gulam invaderet; animámque eliſurus, identidem exprobraret: hoccine eſſet, quod impoſtor jactitaſſet, ſeſeq; ruinæ periculo tam præfidenter abſolviſſet? Et hem tibi, inquit, ut verò interitum mihi ſuum edixerunt? Siluerunt imò ædes, dum planiſſimè conciderunt. Contrà, negat homo audacter ſe fefelliſſe: & utique dicturas fuiſſe perſeverat; nî tu, inquit, os illis infusâ calce occupaſſes. Jam cum querelas adeò omnes obſtruxiſti, ut hiſcere porrò illis non liceret, damnoſi ſilentii pœnas à te ipſe ſumes; à me teruntium non exiges; certè non capies. Hâc ille fallaciâ confiſus, emptorem ſperabat abigere; ſed emptor non perinde ſtultus, interdicto prætoris coëgit omnem ſibi pecuniam redhibere. Ita fraus omnis in auctorem recidit, & nunc idem utique futurum ajebant; ut qui fures proditum veniſſet, ipſe in laqueo primus hæſitaret. Nos porrò daremus operam, ne cujus color, aut conſtantia vacillaret: denique diebus ſingulis in conſilium iremus, & quid pro re natâ ex uſu foret, ſtatueremus.

12. *Conſciẽtia malæ metus.*

Dum hæc geruntur, interim hiſtrioni diæta, quam in arce pulcherrimam dixi, tribuitur; lectulus, menſa, cibus potúſque vel principe dignus. Quæ omnia ille paraſitaſter egregiè capit; diémque primum voluptariè traducit. Sub ejus diei veſperum convenit, hominem expiſcari. Quare comparatis inter nos provinciis, cellario prima obvenit. Is quid omnino faceret edoctus, vino dominico implet congium de cupâ, eúmque hoſpiti cum lecto tragematum apparatu feſtivus apportat: caperet hoc ejus diei pocænium, noctémque liberali hauſtu invitaret: die ſequenti lautiùs pranſurum. Homo præ quavis ſpongiâ ſiccus, & jam antè tot cupediis diffartus poculum ingens amplectitur; eamque vitæ rationem ſolo triduo circumſcriptam, ac mox in furcâ expiandam, pauliſper examinat. Utque unum jam diem exactum de felici triduo penſitavit, altiùs ingemiſcens, ſublatum utráq; manu poculum gurges illicò hauſit. Inde, cottabo facto, & defixis in ſocium oculis; Eum verò de tribus eſſe primum, duóſque reſtare ſolos affirmat. Socius nihil niſi teneri ſe, illáque verborum ambage furtum notari opinatus; mirè expalle-

ſcere.

ſcere ; & noctem auſpici funeſtam, ſomniúmque ferreum precatus, celeriter ad nos reverti. Quibus ipſis haud parum ſollicitis dum dicta factáq; recenſet, novam omnibus formidinẽ incuſſit. Quorſum enim is & primum me, inquit, in diripiendo auro fuiſſe, & duos adhuc alios mihi ſupereſſe dictitaret, nî hiſtoriam probè omnem veneficus calleret? Nempe proditi ſumus; & ni pendére cras Iubet, hodie eſt de fugâ cogitandum. Oeconomus hominem nihil deteſtatus, etſi vehementer expalluit, tamen alterũ diem cenſuit operiendum; ubi, ſiquid periculi foret, poſſe novis conſiliis viam aperiri, quâ in tutum exiremus. Quid enim ſi temerè locutus, terrere nos voluit, non vaticinari? Iremus modò, & ſecuri in utrumque latus accumberemus; ſe ſatis advigilaturum, ne res noſtræ detrimentum caperent. Ita lenit ille nobis timorem.

At ego, qui cubitum inde receſſi, ſomniis turbidam noctem habui: furca, reſtis, lictor, & hic ipſe carcer, oculis identidem obverſati, pæne dormientem necavêre. Sæpe territus exclamo, cæteroſque velut amens jam exorare, jam effugere ceu inſequentes laboro. Au- 13. *Malus quod meruit, metuit.*

 die-

diêre me conſervi, qui propè accubabant; & inſanire rati, ad me irrumpunt, lectulúmque armati circumſtant. Inter quæ evigilo, viſisque tot excubitoribus, non ſomniare me lictores, ſed aſpicere credo, ſerióque agi, quicquid nox mentiebatur, Neque jam pugnabam, quin illis me dederem: unáque ejulans aſſurgebam, ad vincula rapiendus. Id illi cõſpicati, undique omnes invadunt; & quòd furere me credebant, validiſſimé conſtringunt. Ego tantò vociferari contentiùs, ac moram poſcere, dum veſtibus me tegerem; inde ſponte, quà vellent, ſecuturum. Illi itidem ferociores, funes quærere, & ferulas, quæ inſaniam caſtigarent, monſtrare. Rurſum ego, omitterent tormenta; liberè me omnia confeſſurum promitere; imò feciſſe jam facinus dicere. Comœdiam agi videretis, in quâ pari ſtultitiâ omnes confunderemur; dũ illi me pro inſano; ego illos ſeriò pro lictoribus habere perſeveramus. Et commodùm id fiebat, ut furere me autumarent. Nam ſi paululum advigilaſſent, deprehendere furti confeſſionem haud obſcurè licuiſſet. Poſtremò tamen, cùm, quid illi agerent, animadvertiſſem, redij ad me, velut ab altiſſi-

altiſſimo ſopore excitatus; callidéq; animi fuiſſe perturbationẽ ſimulavi. Certè altero die medicus accîtur; jubeor meliuſculè corpus curare, & molli quiete morbum corrigere. Ità inſperatò teterrimum ſomnium feliciſſimè evenit; profuitq; inſanum aliquando fuiſſe.

Jam interim dies ſe alter exegerat; & hoſpes noſter altero vino dapibúſque ſaginatus, uno ſe gradu à patibulo jam differre ſentiebat; cæpitque eam mortẽ, quam olim quæſiiſſet, in limine videre. Eam ob rem non temerè anxius, breves gulæ delicias, cum laqueo comparabat. Hîc ecce iterũ; œconomus noſter cum liquido falerno ingreditur; alterum, ut, convenerat, experimentum capturus, an furti furíſq; ſymbola peregrinus cognôſſet? Eo conſpecto, redintegratus hoſpiti dolor in gemitum erupit; &, hic alter eſt, inquit, quem ego. Simul, triſtiſſima apoſiopeſi conticuit. Diſpenſator, quanquam homo eſt ferrei oris, quique colorem tenere etiam deprehenſus poſſet, eo tamen fulmine ictus, vocem diu non invénit. Ægrè demum, ecquid ſibi hâc verborum formulâ vellit, interrogat? Cui ille, cras tu, inquit, tragœdiam audies. Oeconomus omnia

14. *Conſcius ipſe ſibi, de ſe putat omnia dici.*

ad ſe pertinere arbitratus, ſtatim receſdit, noſque ingenti formidine complet. Scire omnia veneficum; neq; fugæ nobis ſpem, neque veniæ reliquum eſſe: Dixiſſe præterita ad amuſſim; nec futuris abſtinuiſſe; ſed palàm oſtendiſſe, quæ rerum facies mox eſſet apparitura. Igitur eò progreſſos nos eſſe, unde pedem referre vix liceret. Proin' ſententias rogandas, quid in communi periculo placeret?

15. *Conſilia reorum anxia & incerta.* Ego, qui principes partes in peculatu tenueram, primus cenſui, veneno antè necandum, quàm indicium perageret: aut crapulâ diſtentum in ſuo lectulo ſtrangulandum. Rejecerunt audax conſiliũ Nam venena quidem plerumq; lenta eſſe, & incerta. Cædem verò facere, quid aliud fore, quàm grandius in caput periculum arceſſere? Cellarius dixit, optimũ factu videri, ſi pretio & offâ aureâ Cerberum latrantem ſopiremus. Tanquam verò, inquam, induci aliquis pretio poſſit, ut laqueum expectet? aut illum tu putas, ſi cras ſiluerit, auro jugulum defenſurum? Quid igitur, ſi hodie omnes fugimus, inquit alius, & prædam in viaticum aſportamus? Neq; hoc, inquam, cõſilium probatur. Quis enim, cùm

cùm fugerimus, porrò de fure dubitabit? Ipſa nos fuga, nemine damnante, proſcribet. An autem ceſſaret herus viis nos omnibus perſequi, dum è fugâ retraheret? Nimirum capti jam ſumus, &, niſi mox aliud excogitamus, occiſi. Diſpenſator, quin ergo tu tertius, inquit, ad vatem ingrederis, itidemq; cognoſcis, an proditi remedium deſperemus? Ingrediar, inquam; ſi nox ingenioſiorem non fecerit. Digreſſi obdormimus.

Iterum ſomnia menti, iterum oculis Carnifex obverſari, milléque formidines lectulum cingere. Quare vigil exſilio, noctémq; pertæſus, lumen intrò ferre propero. Venio in culinam; de ſcorteâ perâ ramentum ſulfuratum promo. Mox requiro, an ſopiti cineres vivis alicubi prunis indormiant? Et ecce; calenti foco nocturna felis incubat, oculisq; micantibus ſcintillat. Accedo, manúmque ſcienter admoveo, ceu fomitem ad prunas. Vix contigeram, cùm deſpuere felis, & ſtridere ignis, & furere focus, & tumultuari domus incepêre. Ego vindicem in me ruere Orcum, & vitam animámque depoſcere credens, quà licuit, effugio; & per tenebras caput pedéſque omnibus angulis illido. Surgũt & ſocij,

16. *Reorum ſolicitudo, & formido.*

juxta, ſtolidi, ac pridie fuerant; nec invento conſilio ſurgentis diei veſperum operiuntur. Jam minus noſter crapulâ ſecundâ liber, in tertiam ultimámq; inhiabat. Apponuntur vini deliciæ: dapumque illecebræ, & quicquid farciendo gulonis barathro erat. Quæ omnia fundus inertiſſimus glutiebat. Atque interdiu quidem, cùm ſuum culina, cellá-que florem ſuppeditaret, lætior ipſe, nec ſui exitii memor, pueris miniſtrantibus mira quædam prædicabat ſtultitiæ ſuæ argumenta. Quæ ſi potes commeminiſſe, ea tu aliqua nobis recenſe.

17. *Siti fames pellitur, per ingenioſam inopiam.* Tum STROPHVS, ego verò poſſum, & præcipuè quædam. Is enim vicinum ſibi ajebat fuiſſe hominem, qui eſſet octo liberorum pater, imò omnium pater eſuritionum. Et quod miſerabilius eſt multò

Cui nec ſervus erat domi, nec arca,
Nec cimex, nec araneus, nec olla.

ſed liberi ſolùm, ut dixi, octo: illíſq; tam ferrei dentes, qui ſilicem comêſſe poſſent. Latrabat illis aſſiduè venter, & ipſi aſſiduè patrem allatrabant; panem nominare docti, videre inſueti. Quomodo pater à tot famelicis hyænis ſe defen-

defenderet? Ingenium illi telum fuit. Coëmit putidulas haleces quatuor, & uſque in ſale verſat aſſátque. Vocat ad dapſilem cœnam liberos Curruntilli biántque, ceu menſas etiam invaſuri; nec haleces edere parati, ſed vorare. Vix ſuum quiſque dimenſum abſumſerant, cùm undique omnes inſtiterunt ad hydriam ruere; alterúmque alter à fonte repellere: &, ubi vix diſceſſiſſent, eódem rurſus feſtinare, ac totis amphoris haleces condire; nec tamen adverſus ſitim aliquid proficere. Quo fiebat, ut cum ſiti rixantes, neque panem interim cogitarent; neque de fame queruli, parenti negotium objicerent.

Idem hic, inquit, cùm olim adoleſcens culinam procuraret; in mandatis acceperat, uti gruem hero, quàm lautiſſimè poſſet, percoqueret; quod per eam ſe cuperet convivis impenſiùs probare. Iſte ut obtemperet, omnes coquorum artes ad ſigna vocat; breviq; gruem, & embammate tinctã, & ecligmate merſam, & turunduiis fartam adornat. Hîc ipſe nidore non illepido tactus, cæpit cogitare, quemadmodum ejus, quod coxiſſet, partem decoqueret. Nec diu diſtulit, & pedem grui alterum elegans carptor 18. *Coci, in excuſando gruis ablato pede ingenium.*

carptor avellit devorátque; ac mox cicatricis infamiam atro jure diluit. Inde velut rectiſſimè conſcius, menſæ herus dum officioſiſſimè carpit, videt mutilam gruem, & altero pede defectam. Conjectisq; in coquum oculis, ubi ſe alter pes amiſerit, ſtomachosè quærit. Ille jam meditatus quid diceret; atqui grues, inquit, domine plures ſingulis pedibus nunquam habent. Senſit herus oris impudentiam; ac ne porrò tamen litibus contenderet, iram callidè concelat. Die poſtero jubet famulum ſe ſequi, Sequitur; venitur in campos. Ibi instructa gruum acies, longo ordine excubabat, ſingulísque pedibus univerſa nitebatur. Quod ſervulus ut conſpexit, ratus mendacii patronum inveniſſe, viden', inquit, here, ſingulos gruum pedes! At herus tanto in illum torvior, jam & tu, inquit, videbis flagrio, tuóq; mendacio deprehenſus erubeſces Simul complodere manus, diſertóque cæpit ſibilo grues territare Illæ ſimul omnes vaſa conclamare, deſertiſq; ſtativis ſublimes abire, & binos undique pedes longiſſimè protendere. Nihil erubuit eo ſpectaculo coquus, ſed mox altero volu-

crem

crem mendacio veſtivit. Siquidem in-ſultanti domino;& geminos gruum pe-des oſtendenti; mirum id ſibi oſtentum non eſſe, reſpondit. Nam & heri, inquit, ſi pari ſibilo noſtram territaſſes; utique pedem illa perinde utrumque projectura fuiſſet. Hæc de aliis impoſtor; de ſe haud paullò abſurdiora garriebat.

Nam ſagittarium inquit, mei meci-ves, non vulgarem ſciebant; ut quem è bello Thracio reverſum, hoſtili ſpolio inſignem vidiſſent. Cupientibus igitur ſpecimen videre, arcus tendendi; facio copiam: egredior urbe; devenio in lo-cum peramœnum. Erat ibi quercus pro-cera, & ſpacioſâ frondium ſilvâ gravata: hujus infimas radices rivulus ſublue-bat: juxtà ſeges farris jam coëuntis in ſpicam. Suſpicio; tres video palumbos unum arboris ramum deinceps inſiſte-re. Tendo arcũ; deſigno ex tribus volu-cribus unam jactáq; ſagittâ ramum ipsũ dimidium findo. Et ſagitta quidem quà ramum penetrârat, elabitur, palumbi autem, tametſi territi, nihilo magis mo-ventur. Aſcendo, &, quid immoti hære-ant, exploro. Hîc ecce, ingens porten-tum! Quà fiſſus hiabat ramus, interce-pti trium volucrum ungues, velut in vi-

19. Sagittarius prodigioſæ felicitatis.

ſco-

ſco attinebantur. Ergo manum injicio, jurisque mei tres palumbos facio: felix aucupium, & unico telo paratum. Verùm ſagitta, ut per arborem exiit, accipitrem ſupra palumborum capita, per gyros lentiſſimè circumvolantem, inopinatò transfixit, & paululùm ultrò progreſſa ciconiam quoque è nubibus dejecit: deinde caſu in ſubterlabentem rivulum incidit. Eam indidem levaturus, video, ceu haſtam, in prægrandi mullo hærere. Simul ergo utramque & prædam, & haſtam aggredior; genúq; obnitens, ſagittæ arundinem complector: ac, ne quà lentiùs agerem, telum piſcémque avidè attractum, humi pòſt me abjicio. Ea ipſa deinde ſpolia dum lego, reperio leporem, quem in ſegete piſcis, temerè excuſſus oppreſſerat. Id conſpicati cives; ſive jaculi fortunam, ſive jaculatoris peritiam admirantur; gratulantúrq; illam mihi ſagittam, quæ in volucres pro viſco; in piſces pro hamo, inter feras pro venabulo eſſet. Ita ſagittarium me probaturus uno documento & venatorem dedi, & aucupem monſtravi, & piſcatorem oſtendi.

20. *Futuri* Hæc STROPHVS de vaniſſimo nugatore finierat, cùm captivi ſimul omnes

exploſo hominis figmento conclamant, prohibentq; porrò tam grandia mentiri. Nam cui veriſimile id fieri, quod Thraſo de ſe prædicaſſet? Pergit CORSVS; & vos proin', inquit, quî cum homine rem habuerimus, cogitate. Crepuſculum appetebat tertium, & hiſtrio noſter finem ſuæ felicitatis proſpiciebat; quippe qui poſtridiè patibulum eſſet ornaturus, ni ex pacto furtivum argentum reduceret. Igitur impendio triſtior, per diætæ angulos vagus errabat; ſeque ſtultitiæ incuſans, jam colli ſpatia metiri, jam ventris incipiebat tumorem miſerari; ſæpe nexas à tergo manus trahere; ſæpe ſe ipſe conſiderare, quàm decenter penderet. Rurſus Medeam optare; quæ novo Jaſoni aurum; aut Ariadnam, quæ Theſeo filum; aut Dejaniram, quæ huic Herculi veſtem præberet, quà citò fieret immortalis. Inter hæc deſperantis ſuſpiria, ego tertius ultimúſq; cum grandi poculo ingredior, & Campani liquoris congium apporto. Converſus ille: Hic mihi tertius, inquit, reſtabat ſolus, eúmq; jam deniq; video poſtremum. Siccato deinde poculo, peractum eſſe pronuntiat; de cætero rem omnem atque ſpem defuturam. Vidiſſetis

ſuſpendii horror itemq; male conſcientia ſuſpicioſa formido.

me

me buxo pallidiorem, ut qui non ambiguè periſſe me crederem. Advocatâ tamen audaciâ, inſto, quâ nam de re actum diceret. Ille mihi ad clathratæ feneſtræ valvulam deducto, per ferreas ejus maculas patibulum oſtendit. Tunc enim verò

Obſtupui, ſteteruntq; coma, & vox faucibus haſit.

quòd meum mihi bidental crederem monſtrari. Quare omnibus omiſſis primum habui ad ſocios recurrere, quidque compererim, referre. Iidem perterriti, poſt rogatas iterum iterúmq; ſentẽtias, ne mox penderent, cenſuerunt refoſſum argentum aurúmq; illico ad aruſpicem comportare, additáq; pecuniâ ſilentium emere. Facto ejuſcemodi decreto, hominem unanimes adimus; & abjecti in pedes, loculos illi graves in collũ injicimus: precati, ut rem eam habere clàm vellet, nos eſſe, qui ſupellectilem auream rapuerimus, quos quando ipſe arcanis artibus cognoſſet, ſaltem hero prodere nollet. Servari ſarta tecta omnia; eáque, ſi juberet, ad ipſum celeriter perlaturos. Senſit continuò & noſtrum errorem veterator, & ſuam occaſionem: non abſurdo commento, jam ex

deſpe-

eſperato ferox. Scilicet, ſacrum inter axúmque ait ſtetiſſe: & ſi noctem eam incauti diſtuliſſemus, futurum fuiſſe, ut poſtridiè tragicæ rei ſpectaculum videremus. Tamen ſi ſeriò, inquit, reſipuiſtis, properate, prædámque huc omnem è veſtigio deferte. Nos de repetundis damnati, imus; ac velut in Circenſibus longiori pompâ argentum primò, deinde copioſiſſimum aurum transportamus, perque cubiculi menſas diſponimus; ut ipſe ille miraretur, tantum aut rapere nos potuiſſe, aut reddere voluiſſe. Lite ſic æſtimatâ, fidéq; ſilentii ſancitâ, digredimur: ille quidem præter ſpem felix; nos autem periculo metúque vacui, ſed oppidò triſtes, & auro quà furtivo, quà noſtro penitus exhauſti. Atque tunc demum pœnituit furti, cùm nihil inde fecimus lucri.

Cæterùm herus triduum trinoctiúmque præſtolatus, mirè cruciabatur, dum rerum eventa cognoſceret. Qui ſicut antè condictum moleſtus nulli fuit, ità finitis induciis confeſtim ſurgit, atque ad conjectorem ſuũ matutinus accurrit; turbat, pulſat, clamat. Edormierat fortè temulentiam hiſtrio; igitur ut cædi januam audivit, nondum ait dilucu- 21. *Amiſſorum temerè facta recuperatio.*

lum

culum veniſſe; ad hæc noctem ſibi in eruendo argento vigilatam eſſe: ſinerent jure ſuo ſe uti; tantulámque corpori quietem neu inviderent. Arcetur herus ingreſſu: ſed brevi poſt revertit violentior; vocat à janua; exactam noctem induciáſque clamat. Nî pateant fores, impoſturam videri. Sic dum ne hoſpes quidem ſegniùs reclamat, fores effringuntur. Irrumpit herus, longóque ordine, quicquid amiſerat, contuetur. Centum orbes menſarios ex argento factos, decem ſalina auro incruſtata, pedibuſque leonum ac pardorum ſcitè fulta; lances patináſq; quinquaginta, itidem argenteas: aureas phialas pateráſque viginti; vaſa Corinthia quinque & quadraginta; omnia ſignis & anaglyptis illuſa: torques magni ponderis quatuor: armillas decem: dactylothecam tredecim annulis inſignem; quorum palas ſinguli adamantes implebant. Cenſa omnis ſupellex, Philippeûm millibus facilè quadraginta; pretio, quo plures laqueos emeremus. Ab eo conſpectu victus, gaudium inſolenti clamore confitetur. Inde ad hoſpitem, geſtiens; eum complectitur, ſuam ſibi ſalutem appellat; datóque negotio, ut

gran-

prandium ſaliari ritu inſtruatur, neque illa voluptatis materies deſideretur. Illi aureos donat nummos centum, veſtémque ſerico textam. Quo viſo, perdoluit mihi, quod mei furti egómet indicium non feciſſem. At is deinde hiſtrio, apud alios narravit, quemadmodum decepti nos, ipſum laqueo expedierimus; dum verba, quibus ſuum ipſe triduum diſtinxerat, vani interpretes aliorſum rapiebamus. Poſtmodùm ut is tumor crebeſcere, herúmque cæpit advertere, nos fugâ elapſi, alius aliò ferimur: ego in viciniâ deprehenſus, in hunc carcerem compingor. Audiſtis tragœdiam, de quâ quintus mihi actus, neſcio in quali theatro cras erit exſpectandus. Hæc talia CONSVS perpetuâ loquacitate evoluerat, & mille convitiis quà impoſtorem illum, quà ſuum errorem damnârat; tùm ingreditur ſuam LAVRENTIVS fortunam memorare. Erat hic ſenum eorum alter, quos primos mihi carcer objecerat: qui paucula præfatus, ſic porrò fabulari perrexit.

Annis ab hinc duobus & triginta, 23
cùm ætas ferocem, paupertas faceret *Militi-*
audacem, litteris omiſſis, militiæ me *bus ſuæ*
dedi-

furta nõ ſemper felicia. dedidi; factíſque aliquot ſtipendiis, cùm eadem egeſtas pergeret infeſta eſſe, inſtitui furtis ejus contumaciam expugnare: minuſculis tamen & modeſtis. Nam gallinis extra cortem pabulantibus fermè inhiabam, bis térve oviculam, ſemel omnino buculam è grege furtim abegeram. Etſi magno mihi facinus ſtetit. Dum enim abacta remugit, inſecuti tot ruſtici, Hercules, Cacum infelicem pæniſſimè occiderunt. Et manent etiamnum clavarum in capite ambulantium veſtigia.

23. *Dictis offam emi.* Ego vix elapſus, ne quid intentatum inauſúmve relinquerem, fraudem ab ingenio mutuor; tametſi eam ſatis inficetam. Nam quid ageres?

Cogebat artis ingeniiq; largitor venter.

cogebat autem, ut luberet ridiculum fieri; qui hujus elegantiæ minus haberem, quàm Aeſopicus olim adulator. Sæpe tamen, apud homines ſordidos, juſculum hac arte aut villum emendicavi. Rarò proinde nobilioribus delicias feci. Olim certè per cænoſum oppidulum (Lutetiæ coloniam juraſſetis) ibam, cùm animadverti virũ nobilem

arc

rci præfectum, deſcendere. ſcipione
ixum: eum comitabatur puer pediſe-
uus. At ille vix dum ad montis radices
evenerat, jamque occurrebant confer-
im oppidani: quorum alii ex more ca-
ut aperire, alii genuflectere; nonnulli
alutare, aliqui aliud agere conſpicie-
bantur. In iis una præſertim fæmina e-
rat; quæ quatuor ova decumana, & pri-
mulum parta, generoſæ matris vecti-
gal, transeunti offerebat. Jubet ea puerũ
capere. Puer ova pileo indit; pileum ca-
piti imponit; ac porrò procedit. Ventum
erat ad ſordidæ lacunæ fimetum, & puer
errantibus oculis licenter vagatus, quà
iret, parum conſiderabat. Itaque dum
cœlum obtuetur, temerè lutulentæ fæ-
cidæque uligini pedem immergit. Conti-
nuò cænum omne replaudit, & quaqua-
verſum exilit: nec eſt, ne herus qui-
dem, ab illa ſparſione eximius; ſed & cal-
cei ſerici, & candida tibia texta, eâ a-
ſpergine lutulantur. Quare excandeſce-
re præfectus, incautúmque pueri greſ-
ſum increpare. Inſuper elatum ſcipio-
nem ſtringere; parumque memor, quid
feriret, caput pueri non perfunctoriè
contundere. In ea velitatione confrin-
guntur ova, inque pueri capillis exclu-

 duntur

duntur. Simul per ora diſſluunt hâc ovi vitellus, & ſpuma; hâc pueri ſudor & lacrima. Id ego cùm fortè ſpectarem, vidêre tu, inquam, ova velle frixa cænare? Si invitaveris, condico. Dicebam hæc nequaquam eâ ſpe, ut falſa viderentur. Sed quid vultis? Homo dictum ita probavit, ut cænulâ judicaret dignum.

24. *Naſi portentum.* Accumbebat ibi ſupra me, hujus, quem arci præfectum dixi germanus. Eum ego diu mirabar, quare tantam à ſe umbram ſpargeret? Nam quacunque moveretur, dimidium menſæ, tanquam Aethiopico conopeo inumbrabat. Et metui mihi aliquamdiu; donec audacior, limis oculis in hominis vultum reſpicio. Video naſum, quantum ferre Atlas, etiam rogatus, recuſaſſet. Egomet ergo mecum, nempe hinc iſta ſe umbra diffundit. Et rudis ego Mathematicus, Solis eclipſin formidabam. Rurſusque eum contemplatus, hic certè ajebam, in hercifcundo Pubiij Naſonis patrimonio bonam ſemiunciam tulit. Habeo quidem & ego naſi gibbum; ſed quid ille? ad hoc Bonæ ſpei promontorium quartulus eſt apex. Secundèm hæc excogito ſtultimmum factum. Attollo craterem

térem, eíque voce blandiſſimâ propino: & anteſtatus reliquos, eum mihi ſolenni ritu Parentem adopto. Ille miratus erubeſcit; & alij, quid hâc mihi adoptione velim, ſcitantur. Reſpondeo: multos mortales mihi quotidie moleſtos eſſe, qui naſum meum propalam oſtentui habeant. Nec reperiſſe me antehâc titulum, quo naſum defenderem. Hodiæ tandem iſte me parens meus abſolvet, Poſthac enim cùm naſi mei portentum vituperabitur, ludum eſſe hunc meum obeliſcum reſpondebo, præ quam ſi patrij naſi pyramidem conſpexiſſent.

Cui dicto, cùm præter parentem propitii omnes arriſiſſent; tum ego demum placui mihi; atque ut patrem mihi reconciliarem, longè mitiorem me ipſi quàm ruſticum illum prætori fuiſſe reſpondi. Qui in forenſi turbâ cum corbe nuper aſſederat, & mellis hydriam civibus venditabat. Ibi emptorum avarities ſpem propolæ deluſit. Viſi omnes aceti amphoram malle, quàm mellis heminam licitari. Jam ſole in meridiem properante, æſtus hominem vehementiùs feriebat, cùm nuſquam interim emptor ullus appareret. Miſeratæ poſtremò contemptam hominis mercem muſcæ, ut 25. *Muſcarum accuſatio.*

ut eſſet, qui mella non ſperneret. turmatim in ollam ruere, & aliæ avidiſſimè prædam diripere, aliæ, viſco mellis impeditæ, hærere, & omnem ejus gratiam inerti funere profanare. Ruſticum vidiſſes hîc in furorem agi, qui ſuas opes à prædonibus tueri non poſſet. Stridebat, cædebat, necabat; cúmque omnia egiſſet, nihil in muſcis abigendis egit. Ità priuſquam veſper appeteret, gratis omne mel non vendidit, ſed perdidit. Eâ jacturâ mœſtus, ad urbis prætorem accurrit, litémque rapacibus muſcis, veriſſimis Harpyis intendit. Riſit accuſatoris ſtultitiam prætor; & facilè proin, quâ ſibi ſententiâ foret utendum, vidit. Quando, inquit, eâ muſcarum injuria fuit, ego ſeveriſſimè omnes hodie muſcas proſcribo, eâ lege, ut ubicunque viſa tibi deprehensáve muſca fuerit, eam tu jure, quo qui optimo, ſecure mactare, necare impunè poſſis. Gaviſus privilegio Ruſticus, videt fortuitò muſcam in prætoris naſo prægrandem conſidere. Nec moratus, componit manum, palmáq; excuſſiſſimâ naſum hominis ferit, ut ille vertigine actus, pariete ſe fulciret, ne ſupinus omnino laberetur.

Sententia ludicra, judici noxia.

tur. At Ruſticus, hîc, inquit, à primo ne-
bulone meum cœpi mel vindicare.

Videbatur ad hæc etiam irati paren- 26.
tis naſus denidere, ſuæque injuriæ ve- *Impera-*
niam promittere. Et ego jam elatior, ut *toris*
eſt ſtolida omnis ſuperbia, auſus ſum al- *parcè ſti-*
tiora cogitare Quanquam is ipſe tumor *pem dan-*
paulò poſt reſedit. Digreſſus enim; in a- *tis, feſti-*
mœna planitie, magnam equitum cur- *va excu-*
ruúmque multitudinem ex adverſo con- *ſatio.*
ſpicor: quam longo intervallo nobili-
tas, ipſeq; Imperator ſequebantur. Hîc
viſum eſt mihi ingenio uti. Rationem
ineo, quâ reculam apiſcar auctiorem.
Ad ipſum progredior Imperatorem: &
quæſo te, inquam, Imperator, potin ut
hominis famelici miſereare? Grega-
rium vides militem; cætera pannoſum
ac lacerum, ſed oppidò tamen illuſtrem.
Cæſar, quin prima veriſſimè dicerem,
nihil ambigebat; & ſi abnuiſſet, cento-
nibus, meis teſtibus obruebatur. At no-
bilitas illi ſanguinis mei in obſcuro e-
rat. Rogat igitur, quis ſim genus; unde
domo? Ego meditatus ad hoc, fratrem
me illius germanum ajo. Cæſar multò
etiam magis, miratur, &, quemadmo-
dum id fiat, interrogat. Ego me genus
ab uſque Adamo ducere, aſſevero; quo

eodem parente & Cæſarem prognatum haud dubiè ſciam. Par igitur videri, ut comune patrimonium cum fratre partiatur. Ille renidens certiſſimè fratrem agnoſcere, jamque adeo nihil ſe ait dubitare. Proinde gratulatus, manu complectitur; mihiq; jam ingentia ſperanti, numum victoriatum, ratam patrimonii partem largitur. Ego, ut è divite fundo tam pauperem ſenſi ſtipem emergere, Papæ, inquam, frater, quàm tu imperitè patris aſſem partiris? Jubes me ſcrupulo contentum, tibi plus deuncem relinquere. Ut modeſtiſſimè dicam, Semiſſem à te frater exſpectabat. Sane, inquit imperator; ſed tu plures mihi hoc genus fratres eſſe cogita; quibus ego ſi tantundem ſingulis dedero, de toto aſſe, mihi vix aſſem retinebo. Iidem ſi ſingulos tibi victoriatos numeraverint, tu cras mendicare, ego imperare deſinemus. Erubui ad hanc Cæſaris vocem, & meómet ludibrio captus, cum haud alacri riſu diſceſſi, ejusmodi ſales porrò nec ipſe æſtimaturus, neque aliis ita venditurus.

27. *Odii conatus.* Igitur, ut eſt pertinaciſſimus morbus paupertas, coëgit me denique in terram Italiam cum quibusdam erronibus trans-

ranſfugere, & in illuſtri familiâ ſervi-
tutem ſervire. Plus decennium ea me
domus habuerat,& dominis fidelem, &
conſervis charum: cetera etiam pleraq;
felicem; donec gliſcere ſimultas noſtrã
inter alterámq; familiam cæpit. Tunc
enim creſcentibus indies odiis, alter
alteri perniciẽ machinaturi; nihil penſi
habuêre, quibus demum molitionibus
uterentur. Ibi Claudius noſter, herus
major ſcrinium nõ modico ſumptu fal-
laciter adornat; ſivè riſcus is erat, mo-
dicus quidem, ſed lautè picturatus, & ſi
formam conſideraſſes, crederes Darij
ſpolium eſſe, quo Alexander Homerum
veſtivit. Id opus omne, rotulis ferreis,
vertebriſq; ſcienter inſtruxit, quæ ſimul
omnes ſubditâ clavi moverentur, ignẽq;
attrito ſilice conciperent. Ac ne quà fo-
mes abeſſet, addidit pulveris nitrati
vim magnã; globiſq; plumbeis & mal-
leolis reliquum complevit. Talem ma-
chinam viro nobili, qui cum ſimultas
intercedebat, deſtinat; meque in ſcele-
ris conſcientiam admiſſum, quid facere
porrò velit, demonſtrat. Ego rectà ad
fraudes. Effingo literas; clavem indo,
& ſigno. Inde hominem ſtupidum, qui
me nunquam vidiſſet, reperio. Trado
 lit-

litteras, & ſcrinium; numero pretium; & quò fatale donum deferat, oſtendo. Abit ſtolo, neq; quis dederit, curioſus, neque unde provenerit, gnarus. Ait pretio conductum ſe, uti eas res illuc deportaret; cetera ex litteris cognoſci poſſe. Aberat commodùm familiæ dominus, cui inſcripta ferebatur epiſtola. Igitur uxor rata ſic decere, epiſtolam reſignat, cognoſcit Venetiis capſam afferri; quâ viro, ſibíq; & liberis haud rude munuſculum mittatur. Lætior impendio mulier, cùm imperare curioſitati ſuæ non poſſet, circumſtãte liberorum coronâ, promit clavem, atque inſerit, viſura illicò, quid opulentiæ eruatur. Enimvero vix circumacta dum clavis fuerat, jamque ſcintillæ in fomitem ruere; & mox uno omnia momento crepare; flamma globos quaquaverſum, ac malleolos ſpargere; & adſtantes, ut quemque attigit, ferire, urere, necare. Periit glande trajecta uxor; periit icta fragmento nutrix; liberi fulminati omnes, alii manus, alii oculos amisêre; nemo aut cladis expers aut doloris. Tollitur clamor; per omnem viciniam, accurritur; miſerabile urbi ſpectaculum, ſoli fit domino meo jucundum. Interim nuſquam ne ſuſpicio qui-

Feminarum curioſitas punita.

quidem auctoris. Sed quod unum adhuc Graviter ferebat Claudius; vivebat inco- lumis hoſtis, etſi magnâ ſuorum clade ſervatus.

Quem ipſum, quando inſidiæ non ſucceſſerunt, ut armati conficeremus, jam accingebamur. Id verò conſilium herus cum Ferrando prælustri juvene communicat. Famuli trahuntur in con- ſpirationem plus quinquaginta: in qui- bus ego, atque hic meus Simo; uterque audaciâ & deſperatione primi. Reſciſcit arcanum hoſtis: idémque & ipſe facit. Concurritur, fit utrinque cædes, & atro- citer odio litatur; dum denique in turba hoſtis confoditur. Ita finē accepit mu- tua duorum ſimultas; ſed exorpium no- ſtra calamitas. Nam continuò velut la- trociniis infames palàm omnes proſcri- bimur. Et Claudius quidem ac Ferran- dus judicii metuentes, jubent raptim o- mnia convaſare, noſq, nî pœnam lube- ret pendere, extemplo fugam capeſſere. Imus confeſtim quà cuiq; licuit: longíſ- que pòſt erroribus, ſedem alicubi nacti, ad prædas adſueſcere, raptóque vivere incipimus. Sedecim deinde annos ſub ejuſmodi ſignis exercitati, ad hunc poſtremò carcerem devenimus. Quod

28. *Inimicitiæ violentia.*

quemadmodum acciderit, hic vobis Simo jam indicabit.

29. Simo non eâ ſe valere memoriâ dixit, ut annorum plus ſedecim ephemeridem ſupra repeteret: Variam ſæpe fuiſſe fortunam, diversóſque eventus. Multos ſuorum captos quotidie; aliquos etiam inter flagitia oppreſſos. Ludicra etiam & jucunda; ſæpius tetra & ſeria factitata: inter quæ ipſe ipſiusque memoria conſenuerit. Poſſe tamen ultimorum temporum pauca quædam commemorari.

30. *Inſidiæ proditæ in inſidiantem retortæ.* Exules unà eramus tres & octoginta, ſenſim alii ſuper alios allecti; quibus omnibus Claudius noſter imperabat. Ille unus, (quod in gnavâ familiâ ſolet) ultimus cubitum ire; & primus anteluciò vigilare. Neque ſegnior manu, quàm imperio. Sive enim eruptio fieret, ille in primis ordinibus dimicabat; ſive receptui caneretur, idem providè ultimam ſibi aciem ſervabat; ut nemo neque in conſiliis cautior, neque in pugnâ fortior, neque in diſciplinâ ſancienda fuerit ſeverior. Hoc ejus imperium denique Ferrandus ut diuturnum indignari; Claudiúmque patruum pro lento ignavóque ſenecione habere;

re,ſe ſtrenuum, & pari generis ſplendore juvenem, inertiâ ducis corrumpi, & langueſcere; cui ſi ſumma res permitteretur, triduò res maximas geſturum, & commilitones prædâ opibusque onuſtos conſpecturum. His talibus famam ducis obtrectabat; primò clàm, & inter paucos, donec hi paulatim plures attraxére. Viginti ex omni numero conjurant, ut Claudio imperium abrogetur; rerum autem unus Ferrandus potiatur. Id quia proceſſurum apertâ vi non putabant placuit dolo graſſari. Conſtituitur dies patruo tollendo; qui ſicut interdiu violari non poterat, ita dormiens ad macellum erat rapiendus. Caſtra id temporis habebamus in ſemirutâ arce; indidem diviſis copiis quotidie hàc Claudius, illac Ferrandus erumpebant; modico præſidio, quod arci tuendæ ſatis eſſet, domi relicto.

Eo igitur die, quem parricidio Juvenis ſignârat, latè evagatus, ſub ſerum crepuſculum ex compoſito revertit: nuntiat anxius civitatem in armis eſſe, noctúq; ad ſe opprimendos venturam: milites plus ducentos peregrè accitos, qui civibus quingentis ſubſidio ſint. Validam manum, ſed duce deſtitutam, quē 341.

comperiſſet, nec conſilio bonum, nec manu promptum haberi. Quare agerent, & an defendere vim, an fugâ ſe mallent eripere, deliberarent. Nemo fuit noſtrum, qui fugæ deſidiam probaret. Id enim noctis, quò eſſe fugituros? poſſe, quantumvis paucos, è vallo, in confertiſſimos hoſtes pugnare, ibiq; vel ſtrenuè vincere, vel, ſi caſus ferret, gloriosè oppetere. Extra munitionem deprehenſos, velùt pecora, mox ad lanienam abduci. Partirentur potiùs curas, & præſidiis per arcem diſpoſitis; duces alterni vigilarent, hoſtémque intra vallum expectarent. Claudius exercitatæ militiæ ſenex, tametſi hæc non omnia continuò credebat, tamen ſimulato metu, nihil quod arci eſſet muniendæ intermiſit. Perſuadet exinde, ut provincias ſortiantur, utri cum ſuis copiis primæ, utri poſtremæ noctis vigiliæ obtingant. Sortiuntur. Juniori ad intempeſtam noctem ſomnus conceditur, ut inde vigil alterum noctis dimidium excubet, ſeníque patruo quietem præſtet. Gaviſus & ſucceſſu Ferrandus, & præſertim doli tegumento; rapit æneum tubum, onerátque ferreâ glande duplici, quam nitro ignéque ſubdito fortiter

citer in hoſtem iacutiat. Idem facit ipſum Claudius.

Ità mox in grabatulo ille decumbit, 32. ſecutus, juxtaque ſe telum reponit. Patruus in ſtationem progreditur, & ſecum otioſè dicta Ferrandi ceterorúmq; examinat; reperit haud ſatis omnia hærere. Quare dolum ſubeſſe gnarus; ad quem verò is pertineret, incertus, ſtatuit ſolerter expiſcari. Obverſabatur Ferrandi cubiculo ſatelles, unus de conjuratis; reliquis corpora ſomno curantibus. Eum Claudius inſperatò adoritur, & hinc intento in pectus pugione terret, hinc præmiis invitat, ad verum fatendum. Tergiverſatus homo primum; deniq; expugnatus, rem percontanti aperit. Cladem ſoli Claudio imminere: quem ſimul è ſtatione regreſſus obdormiſſet, Ferrandus glande ferreâ ſit trajecturus, ita conveniſſe. Addit ordine deinceps cetera, confirmatq;. Claudius inter duas cogitationes anceps, utram probaret, neſciebat. Nam ut fidem facinori haberet, movebat trepidationis novitas: pro Ferrando pugnabat cognatus ſanguis, & nunquam diſcors ſententia. Ne quà ergo temerè aut inſontem tolleret, aut nocenti fideret, capit

aſtutum audaxque conſilium. Succedit dormienti vafer, fiſtulæq; æneæ tubum non ſentienti clàm ſubducit; eúmque tubum inteſtino pondere exarmat; & glãde, quam Ferrandus indiderat, dexterrimè exemptâ, innocuum telũ, unde ſublegerat, occultè reponit; cetera jam ſecurus. Inde, ubi alternam noctis vigiliam peregit, jubet excitari juvenem, ſuámque in ſtationẽ ſubire. Ille ignarus factæ jam proditionis, ſurgit, alacerque abit. Patruus de induſtriâ feſſum ſomnolentúmq; ſe mentiens, decumbit, ſervatq; telum non item inane, quo aliquid molientẽ retundat. Quo autem celeriùs cognati perfidiam exploret, aſſimulat peritè rhonchos, animáque ſonantiori totum cubiculum implet. Id ipſum aucupatus pro januâ Ferrandus, & inde rei maturandæ tempus credens, ſe quàm occultiſſimè poteſt, ad Claudium infert; juxtáque lectulum conſiſtens, admovet pectori tormentum, ſilicéq: cum rotulâ commiſſo, lingulam, quam tubus infernè exſerit, digito increpat. Ecce tibi, incitantur momenta rotæ, effervèſcit ſilex, elicitur ignis; ſed fatuus tantùm, caſſóq; ſtridore in fumum recedens. Tum verò & juvenis compaveſcere, eluſumq;

ſe

ſe videns diffugere, & ſenex mendaci è ſomno evigilare: mox prompto viciſſim tubo, inanem Salmonea petere, eique, ſi Jovis imitari fulmen cuperet, ſic tonandum fuiſſe dicere. Inter quæ verba explodit, juveníque miſerrimo ferream glandem ſub pectore condit. Labitur ille ſanguinémque vomens, animam ingenti vulnere expirat.

Atque utinam in eâ clade ſe victor animus tenuiſſet, neque ceteros etiam conjuratos ad pœnam flagitaſſet; viveret Claudius hodièque, & carceris hujus pædor nos non haberet. Nunc ille dum unum deprehendit, omnes metuit; nemini fidit; ab ſuis & ipſe timetur, ſenſimq; deſeritur. Sexaginta reliqui in fide perſtamus, ſecuturi quamcunq; Claudii fortunã. Sed illa jam ſui diſſimilis, quotidiè in pœnitentiam ſpectabat. Erat in eâ viciniâ pagus, frequens ille quidem, ac validâ plebe defenſus; in planitie tamen ſitus, nec vim, ſi qua afferretur, laturus. Eum Claudius jam olim diripiendum, ultimæ ſuorum neceſſitati reſervârat. Illuc fugitivi ſe noſtri recipiunt; pactiq; impunitatẽ, omnia familiæ noſtræ conſilia promulgant. Mox, quemadmodum aditu nos arceant, oſtendunt

Infelix pagi oppugnatio. 31

dunt. Ratio omnis muniendi hæc fuit. Foſſa modica præruptis lateribus per circuitum ducitur; ea ponte anguſto jungitur, quà ægrè ſinguli currùs commearent. Interiori crepidine ſeptum ligneum, ceu vallum objicitur. Id qua effecerint arte, juvat cognoſcere.

34. Cæduas arbores cum frondibus minuſculis comportârant, cáſque dehumilioribus fermè arbuſtis exciſas, vimine ſaliceque arctè connexuerant, inque orbem circumcirca ſic ſtruxerant, ut nuſquam facilè intermitterentur. Sæpem diceretis germanam, ſed ſolitò altiorem fit miorémque. Quà in pontem ibatur, modico intervallo portula quædam hiabat. Ponè hanc Ruſtici in inſidiis locati, qui nuſquam extrinſecus viſi, per rimulas omnia deſpiciebant. Ceterùm hanc omnem machinam vectibus paliſque per funes adſtrictam, pauci homines facilè moliebantur, ut ambularet, perpetuóque circuitu pagum coronaret His mœnibus tum incolæ muniti, defenſionem paraverant. Nos interim rerum omnium ignari, temerè velut ad victoriam properamus; equis ſtrigoſis quidem & macilentis; ſed pernicibus inſtructi. Ventum eſt eo loci, unde vide-

videre pagum jam eminus poteramus; hîc nova nos facies, & inſolens agger perturbârunt, ratos Amphionem adfuiſſe aliquem, qui mœnia barbaro cantu excitaſſet. Pro ridiculo tamen id vallum erat, poſtquam patere alicubi portulam vidimus, quâ penetraremus. Igitur caprpo impetu, alter alterum hortati irrumpimus. Vix dum pontem attigeramus, cùm aliud naturæ prodigium nos in meriſſima monſtra convertit. Repentè enim fugere ſepta, ambulare mœnia, circumagi ſilva; portiſque nos excluſi circumſpicere, quis Orpheus tot arbores animaret, aggeréinque ſilveſtrem vertigine compleret? Nec multum aberat, quin & nos ſtupore afflicti, in partem vertiginis veniremus. Inter hæc continenter tonabat, grandiniſque modo, tela confertim in nos ruebant; quæ tamen unde inciderent, aut è quo cælo funderentur, non apparebat. Quippe ruſtici poſt ambulatoria carecta abditi deſtinatis ictibus, ſaxa piláque in obnoxios ſpargebant; ita ut in primo conatu, ſocii tres occiderentur, novē aliis graviſſimè ſauciatis. Claudius igitur, à quo Jove tot fulmina mitterentur, dubius, jubet receptui canere; copiáſque extra

extra teli conjectum abducit. Ibi animis nonnihil ex pavore recreatis, audaciores eódem incurrimus: alii materiam temerè collectam, alii ceſpitem conjicimus; & foſſam quà ad portulam itetur, complanamus. Jam viciſſe arbitrantibus, ecce iterum machina omnis vivere, arbores moveri, portáque longo intervallo diſcedere. Et nos iterum deluſi, ingruentibus iterum telis obrui, alteráque clade in fugam effundi. Idem ipſum tertiò, idem quartò facimus; indidem ſemper irrito eventu, & cum ſtrage repulſi. Sed ultima tandem impreſſio res nobis prorſus omnes accîdit. Nam viginti commilitones glandibus plumbeis icti occubuére; decem vulneribus deformati mutilatique concidêre: Claudius ipſe jam alio vulnere tardus, dum effusè omnes pro ſe quiſque fugimus, ſecundùm tempora feritur, ac ſeminanimis tandem ab hoſtibus capitur. Mihi & huic Laurentio equi confodiuntur. Ita ex omni numero non plus decem in arcem refugimus, per noctem illam è pugnâ reſpiraturi.

51. *Fures furibus furantur.* Memineram ego Philippicos nongentos à Claudio defoſſos, quos in ultima ſibi eventa ſepoſuerat, infelix. En jam

am capto, & mox peſſimis exemplis pe-
ituro: Quid hæc, inquiebam, pecunia,
k quem porrò dominũ exſpectat? Quin
tu capis, ignave, tabulam, factóque nau-
fragio per hanc evadis? An aliud tibi tu
latrocinio quærebas, quàm ut vitam to-
lerares? Ecce argentum, quod & latro-
cinio te poteſt abſolvere, & inopiâ libe-
rare. Nihil honeſtius olim, ne innocens
quidem feciſti, quàm nunc, ſi pecuniam
acceperis, quæ dominum amiſit. Atqui
tu fidem Claudio obſtrinxiſti? Tanquam
ille jam de pecuniâ crucietur, qui ipſe
ad ſupplicium rapiatur? Liberum hodie
te fecit ejus captivitas. Aude, & ſive mi-
les, cape ſtipendium; ſive profugus,
tolle viaticum. His mecum ita diſputa-
tis ad Laurentium venio, quem fugæ lu-
criq; mei conſcium volebam. Ille nihil
abnuens continuò mecum; auri avidior,
quàm ſocii. Nox erat intempeſta, & mo-
dicus lunæ pallor, tenebras temperabat;
nosq; veſtigiis obſervatis paſſu laneo ad
locum ibamus. Ibi ligonem, terræq; ef-
foſſæ ruta, ac mox inanem auri tumulũ
conſpicamur. Circumfero tamen manũ,
& ecquid reliquum ſit, exploro; οἴχεται
omnia. Obſtupui infelix, percuſſiq; dex-
trâ pectus, atq; ad Laurentium, quid vi-
des,

des, inquam, Laurenti? ille cachinnans, nihil equidem, niſi te ſomniâſſe. Nam vivum, inquit argẽtum hoc fuit, ideóq; cæpit currere. Ego, veſtigemus igitur, & quà inceſſerit fugitivus Mercurius, inſiſtamus. Venit deinde in mentem, Turno etiam cuidam è noſtrâ legione, cognitũ locũ fuiſſe; ſed mihi occiſum arbitranti, Laurentius, erras tu, inquit, abſurdè. Nã is ante nos primus huc rediit, & ſaucius in ſtabulo nunc ſomnum capit. Hîc nihil porrò differebã, quin illum ego eſſe peculatorẽ ſuſpicarer. Sed ab illo quomodo argentũ reciperem, neſciebam. Occidere cõmilitonem non placuit, & ſi vim palàm afferremus, viribus utroq; ſuperior erat. Multò minus viſum eſt, in jure contẽderet Quis enim prætor addiceret, ubi duo inter ſe fures litigarent? Reſtabat igitur dolũ cõminiſci; quem ubi diu quæſiimus, talem denique adornamus.

36. *Humanus canis.* Verſabatur in arce canis, fera ingens; vitulo ſimilior, quàm moloſſo: isq; in peregrinos ut mirificè ſævus, ita familiæ blandus charusq;, plerũq; ad limen cubiculi, aut ſi humi decumberes, juxtà recumbebat. Hunc nacti uterq; ad ſtabuli fores adducimus, maléq; acceptum latrare aliquamdiu cogimus; ut excitatus è

ſomno

ſomno Turnus moloſſum agnoſceret, ac ſi quis ſtrepitus ultra conſequeretur, ejus alium auctorē ne putaret. Inter hæc ego pellem amurcatā injicio, millumq; mihi circumdo, ac repentè quadrupes factus in ſtabuli caveam irrumpo: ubi per ſtramentum reptans quoad potui, canem aſſimulo. Atqui Turnus in culmo ſtipulaq; ſecurè ſtertens non aliud eſſe, quàm canem familiarē exiſtimabat; ſusq; deque habito, quà tandem percurſaret. Igitur ut nec videre quemquā ego per tenebras potui nec videri, reptādo, ſi quid nanciſcerer, laboravi. Jam rhonchi dormientis, quàm propè Turnum abeſſem indicabant, cùm cæpi vigiles oculos quaquaverſum intendere, ac denique duas hinc atque hinc peras videre: obſcurè quidem illas, ſed quas tamen eſſe Claudianas nihil dubitarem. Propius deinde adrepto, alterámque furtim ſubduco; & rectà ad meum Laurentium recurro. Gaviſus ille prædâ feliciter receptâ, ut abſolverem actum, alteróque venatu, marſupium alterum, aggrederer, monebat. Ego nihilo ſegnior, in veterē larvam labens regredior. Iterum diſcurro, iterum veſtigo. Sed in mediis cæptis, ſubiit cogitare, Quid enim jam ſi Laurē-

Mala cō-ſcientia timida.

tius

rius interim cũ pecuniæ crumenâ, clàm diffugiat? Turnus autem priùs furẽ perſonatũ ſentiat; quàm alterâ ego crumenâ potiar? enimvero feſtivè hæc mihi fabula peragetur! Et ecce, quàm facilè de comœdiâ fieri tragœdia poſſet?

17. Nondum hæc muſſare mecum deſieram, jamq; movere ſe Turnus, & inter lectuli culmos incipiebat perſtrepere. Mox etiam, ut inquietus eſt timor, languidâ manu explorare latera, & depoſitum quærere. Verùm ut latus alterum inerme ſenſit, excuſſo ſopore trepidus exilire, convitiiſq; noctem ſtabulumq; implere. Crederetis Medeam cum familiari rhombo tricari, aut Canidiæ ineptem geniale carmen mihi accinere, ita nihil ille inferorum, furiarumq; prætermibat. Tum equidem obrigeſcere, & pavidus meam cladem expectare. Nam quid porrò confiderem? aut quomodo pelle impeditus, irato exploratori reſiſterem? niſi fortaſſe mihi murices pro telo fierent? Imo reſtis, erunt, inquiebam, unde ſtranguleris, Muſſabat interim ille, & varia ſecum; Quid ſi, inquit, egomet nocturnus ambulator peram hinc ſomnians aliquò aſportavi? aut canis utique ludibundus per ſtabulũ diſtraxit?

is? Et qui ſciam, in quem angulum ille
abjecerit? Inde iterum maledictis tona-
re, arcémque Stygi omnem oppignora-
re; & jam Cani moloſſo, jam capiti ſuo
Orcum imprecatus, è ſtabulo excedere,
ut eum laternâ regreſſus, amiſſum mar-
ſupium requireret. Jam ultra fores eva-
ſerat, inferos catervatim vindices evo-
cans, cùm ei per tenebras Laurentius oc-
currit; qui, gratioſo ludibrio, me opina-
tus cum alterâ crumenâ adeſſe, ſociique
fidem quærere: Turno fulminanti jam
præſtò ſe eſſe reſpondit. Turnus repen-
tino alloquio confuſus, credit Cacodæ-
monem adſtare, ut quẽ longis precibus
ab Erebo evocâſſet; ac metu exanimis
tollit clamorem, ſimulq; per ſcalas effu-
git. Laurentius nondum intellecto, quid
fieret, illum ponè conſequitur, atq; idẽ-
tidem ad ſe invitat; ſecum eat, apud ſe
maneat. Turnus autem tanto pertina-
cius & fugit & clamat, nec aliud quàm
Orci diverſorem credit. Tandem Lau-
rentius ſpoliis me reliquis potitum exi-
ſtimans effugere velle, fidémq; fallere,
longè tumultuoſiùs inſtat, uſq; eò, ut al-
ter de valuis deſilire cogitaret; tum de-
niq; ſenſit Turnum eſſe, quem panicus
metus agitaret. Igitur diſſimulato erro-
re,

re, abſiſtit; atq; ad me reverſus de eventu ſecundo gratulatur. Nam interea loci, prædam ego, quam in ſtabulo Turnus reliquerat, nanciſcor; & cum Laurentio, quemadmodum convenerat, ſtatim ex arce me ejicio. Uterque per avia deviáque vagati, ſub lucis crepuſculum, in tuto conſiſtimus.

38. *Malè parta malè dilabuntur.*

At Turnus, prælucente lucernâ, dum unam in ſtramine peram requirit, etiam alteram infelix amittit; minúſq; in illuſtri jã ſtabulo videt, quã viderat prius in obſcuro. Quare damni impatiens, inſtitit, quanto ſtudio marſupiũ quæſierat, laqueum quærere, quo gulam frangeret. Sed eum nondũ invenerat, quando plebs ruſtica, partæ victoriæ inſolens, irruit, illúmq; & omnes familiæ reliquias oppreſſit: ità ut manè expugnata arx, capti ſocii, & ad unum omnes ſuſpenſi interierint, meq; nullius olim fugæ minùs pœnituerit. Subiit tamen luctuoſæ rei miſeratio. Nã, quod poſtridiè abſentes comperimus, Claudium noſtrum iidem ſecũ advexêre, ut monſtrato argẽto, quod ibi defoſsũ dixerat, ſe redimeret; pacti vitã, ſi philippicos octingentos numeraret. Ceterùm ubi illã nummorum metempſychoſin conſpexit, erutæq; pecuniæ nulla uſquam

uſquam veſtigia reſtare; proditum ſe clamans, meum dicitur nomen ſæpenumerò iteraſſe ; & nequicquam queſtus ſuſpendio crudeli vitam clauſiſſe. At nobis quid inde acciderit, perge tu nunc reliquum percenſere.

Excipit Laurentius, & tanquam iſtud lii neſciant, inquit, quibus jam dudum aures obtundimus ? Audiêrunt omnia, cùm nuper in quæſtione pendulus debui perorare. Verùm certè non audiit adoleſceus hic, inquit, cui hanc hodie fabulam pro adventitiâ debemus. Me autem ajebat. Nec planè inficior, quin illis mihi ſtultitiis breviorem carceris noctem fecerint. At ille moroſior, nullam ergo nos ſinès quietē capere ? an Lavernæ per nos vigilium agimus, ubi Mercurios Autolicosq; ſua cogamus furta laudare ? Quanquam autē & ſopor huic tuæ rogationi jam intercedit, tamen imperabo mihi, & aliquid dicā. Quod ubi abſoluti rogas, vero, non patiar vos mihi deinde moleſtos eſſe. Annuentibus ergo ceteris, Laurentius : Poſteaquam ex præſenti ſociorū clade ſoli pænéq; inſcii effugimus, partimur comunes ſarcinas, & cum ſingulis bulgis profecti ; quarū mea quingentos ; quadringentos altera continebat, loca 392

alia ex aliis peragramus, intenti, quemadmodum rectiſſimè negotiaremur. Reculã verò còrraſimus, quam novi agyrtæ per fora oppidáq; venalem haberemus. Placuit eo maximè quæſtu, & ſuſpicionẽ otii vitare, & novas fallẽdi occaſiones venari. Nam nundinas plerumq; & ruſticorum comitia ſectari, ſub papilionibus merces exponebamus. Hîc accipite rem veterum Saturnalibus dignam.

40. *Ridiculus hæretica cœna bolus.* Ventum fortè in oppidum quoddam erat ignobile; ubi diu circũſpicientibus, quâ parte pergulam tenderemus, monſtratur locus prope delubrum, quo à Romanæ Eccleſiæ fide ſeducta plebecula jam tum turmatim accurrebat. Captâ ſtatione, videmus juxta nos popinã ſcriblitariam; & ibidem grande barbitium, Orci rabulam, liba quædam candidiſſimæ ſiliginis nundinantẽ, quibus impreſſæ omne genus pecudes erant. Hîc ſcienter canes leporesq; dimicabant; ibi ſuos cuniculi colles, & damulæ rupes, & ſciuri arbores percurſabant: alibi cervorũ cornua, & vulpium ſyrmata, & luporũ agmina errabant; magnâ venantiũ prædâ. Rebus ex ſententiâ coëmptis, caper barbatus è turbâ ſecedit, paullò pòſt ſuis tribulibus cerberi offam daturus. Com-

me-

modũm appetiit hora, jámq; æra turrium ſonare, & rabula ad ſuam horam decurrere. Mox è ſellulariá plebe alii ſuper alios irruunt, prædámq; famelici venatores, hiantibus labris, glutiunt. Sed non eâdem omnes fortunâ uſi. Aliqui lepuſculos nacti, helluantur; aliqui cervos adepti patulis rictibus comiſſantur. Aliquibus leonum jubæ; aliquibus equorũ ungulæ obvenêre; haud molle pabulum, ſed ei palato non repudiatum. Ad ejusmodi ſportulam homo etiam adulator properabat. Ei Stygius præco, lepidæ Cereris cruſtum objicit, quod ultimæ vulpeculæ flabella inſigniebant. Quippe cùm liba in orbiculos ſecarentur, factum fortuitò eſt, ut vulpes inhoneſto vulnere notata, caudam amitteret. Eam infamiam homo advertens, capite refugo, cæpit prædam, quæ obveniſſet, aſpernari. Inſtat nihiloſecius præco, manúq; propiùs admotâ, capere ſuã ſibi ſportulam jubet. Perſeverat homo abnuere, & per caput ſuum dejerare, nunquam conſenſurum. Miranti capro, & cauſſam inſoliti horroris ſciſcitanti; alter, an tu ergo hoc, inquit, ludibrium non vides? uſque ego omnibus aſſentator, & appendiculæ vulpinæ hæres traducor. Quòd ſi hanc in-

ſuper caudam traherem, ne ego uſque in ſatietatem ab omnibus riderer. Aut aliud ergo cruſtum porrige, aut ſi hoc famelico vorandum eſt, non eſurio. Jube ſis, qui reliquum hujus vulpis aſſem accepit, etiam hanc ejusdem unciam tollere. Ita incœnatus ille receſſit; extráque apud ſcriblitariam delectum inſtituit, & auctoratis vulpibus, magnos alterius pecoris greges, inter liba confecit. Riſimus nos hunc hominum religionem, qui, ubi ſacerrimi erant, noſtra videbantur nobiſcum Bacchanalia vivere.

41. *Auri faciendi impoſtura.* Paucis diebus ita negotiati, cognoſcimus haud procul abeſſe nobilem dynaſtam, qui pridem inſano ſtudio laboret aurum procudere: idque dum impetret, nullis neque impenſis parcere, neque laboribus ſuperſedere. Novus hic mihi quæſtus, & ſi ingenio uteremur, compendium ad opes videbatur. Ineo modum, putatíſque accuratè rationibus, ſeduco Simonem; & clàm, quid mei conſilii ſit, oſtendo. Nempe rectà, inquiebã, hâc arte ad magna imus. Simo, rectius, inquit, ad alta. Nam hæ nativæ mihi ſcalæ ad furcam videntur. Nam quæſo, an etiam ſapis, qui nullum in hoc lucro laqueum videas? Quem enim chryſopæum

nos olim in lectulo jugulavit? quem illum aut ægritudo fregit, aut unda hauſit, aut fulmen ſtrauit? Omnes in ſublimibus roſtris animã efflârunt, & à furno conſpicui in furcam iérunt. Riſi, cùm hæc mihi Simo diceret: & tanquam ita tu vixeris, inquiebam, ut hodie metuere furcam inciperes: Triginta jam annis, uterque patibularii ſumus; & ſive à furno, ſive à furto ad reſtim vocemur, eodem jugulo luemus. Nam ipſæ hæ bulgæ an alio in pegmate emori nos ſinent? mihi crede, non ſinent. Sequere ergo, & aurum juva percoquere, quod decoquamus. His ego talibus Simonẽ permoveo. Mox centum philippicos auro permutamus; aurúmque in pulveres contuſum, cum viliori ſabulo confundimus. Ego chryſopæum aſſimulo; Simo circumforaneum; uterque, quid faceremus, edocti.

Comparatis omnibus, quarto pòſt die, ſocius inter arcis veſtibulum tendit; ego intrò ingredior; dynaſtæ, quid venerim, ſignifico. Exiliit homo; ut qui crederet Archimedem ſe reperiſſe; offert hoſpitium, & ſi artẽ fide bonâ docuiſſem, lautum ſtipendium. Cognitâ viri cupiditate, polliceor omnia; ſimul

invehor in multos hoc genus impoſtores, qui ſcelere ſuo pulcherrimam artem infamârint, effecerintque ut orbis Chryſopæos omnes nõ ſecus quàm publicas peſtes exſecretur. Inde, quò minus ſubeſſe fraudem arbitretur, nexum illi me facio, ſi quà fallam: Sin autem liquidò fidem artis approbem, quadringentos philippicos paciſcor. Ille ultrò vel quingentos pollicitus, juſſit ſpecimen maturari. Fit furnus appoſitè ex præſcripto; carbones, ſulfur, viviq; argenti pondus modicum, & ſi quid aliud juſſi, prolixè miniſtratur. Tertio die dynaſtã invito; ei modum artis omnem oſtendo; & minuſculum globum de vili materiâ compactum in manus trado. Vix teruntii pretium inerat; quippe omnis ſulphure, plumbo, & fugiente Mercurio conſtabat. Quã glebam ubi non perfunctoriè examinaſſet, palámq; faſſus eſſet, ſatis ſe ſuperque omnia exploraſſe. Dixi, dimidium ejus aurum fore, ſi percoqueretur. Jamque impoſiturus erat furno, ſicut mandaveram, cùm exclamans inhibeo, tantiſper dum pulviſculus Arabiæ inſpergeretur, illud eſſe condimentũ auri; quod tamen pæniſſimè excidiſſet. Dynaſta nihil ejus pulveris habere ſe reſpondit. Atqui nul-

lus eſt, inquam, circumforaneus, quia illo abundet. Mitte proin˜, & denario quantámvis ejus copiam eme. Mandat illico dynaſta puero. Currit puer; videt in veſtibulo Simonem ſuas merces venditantem. Rogat, pulveris Arabici num pauxillum habeat? Ille plus adeò quàm velim; viliſſimæ mercis minus mihi lucrum, quàm pondus eſt. Simul implet grandem cucullum, traditque puero. Pretium indicare juſſus; aliquot nummulos poſcit. Recurrit ad herum puer, pulverem ait vix dimidio ſtetiſſe, & ab ipſomet mercatore, infra ſaburrã æſtimari. Placuit homini ejus ſabuli vilitas, & ego tamen velut in parciſſimum Euclyonem invectus; duplum ejus ponderis, dixi quatuor aſſibus me præſtinaturum. Juſſi deinde trientem illius pulveris ad reliquam maſſam injicere; neque dynaſtam oculos uſquam avertere. Interim ego carbones ſufficio, & folles explico, & rorem aſpergo, & ventulum afflo: dum denique liqueſieri pulverem, inque auri glebam confluere videmus.

Exclamat dynaſta lætus, in furno auri ſe fodinas habere. Me deoſculatur, magnóque exemplo probatum confitetur. Adhibet amicos, obſtupeſcunt; ad-

vocat argentarios, laudant. Per omnium manus, perq; oculos ambulat aurum, & purum putum agnoſcitur. Pondus examinant; decem philippeis æſtimatur. Hic verò me unum omnibus oſtendere, interq; complexus per arcem deducere, me illum artificem dicere, qui ex triobulari glebâ, tam locuples aurum procreaſſem. Nec argentarii dictis ſatiati, ut ipſa naſcentis auri incunabula viderent, ad furnum decurrunt; mutique prodigium admirantur. Ceterùm de amicis callidior unus, etſi fraudem, inquit, video nullam, perſiſto tamen, aurum arte procreari non poſſe. Nam hic ipſe; ſi tantulis poteſt momentis aurum generare, cur tam eſt continens, ut ipſe ſibi plures liberos non gignat? Niſi me oculi fallunt, lacera illi veſtis eſt; ſedet pallor in ore, macies in corpore. Quin igitur aurum parit, & veſtem ſarcit: aut quid tandem à te mendicat, ſi te locupletat? Sapientiùs neſcio quis, olim Princeps in illum luderet; qui ſimillimum impoſtorem, quod aurum facere ſe poſſe profiteretur, eámque ob rem præmio donari vellet, prægrandi crumena donavit; dictitans, ei, cui aurum tam ubere proventu naſceretur, nihil gratiùs accidere, quàm

locu-

oculos poſſe, quibus illud aſſervaret.
cit me vehementer hominis cavillus; à
quo ut me vindicarem, alterum aggre-
dior ipſo adſtante ſpecimen edere; bre-
viq; ex conſimili pulvere aureum globū
alterum efformo: quo contemptorem
ſimul elinguem, & artis eluſæ cupidum
reddo. Verùm dynaſta præpotuit, ne cui
alteri communicatum id arcanū vellem:
qui toto deinceps triduo per ſe ipſe ea-
dem expertus, ter quaterq; aurum effe-
cit, quoad pulvis Arabicus ſuppeditavit:
ut porrò nihil dubitans, jactaret Mydam
ſe eſſe, cujus attactu aurū ebulliret. Nu-
meratis ergo, ſicut convenerat, quingen-
tis philippicis, id unum à me popoſcit,
parcior in diſcipulis recipiendis eſſem,
ne auri pretium ipsâ copiâ vileſceret.
Promiſi; & in ultimo digreſſu, experiri
etiamnum juſſi, ut viderem an omnia re-
ctiſſimè meminiſſet. Paret. Mittit pue-
rū, qui pulveres denuo ferat. Ille ſeſter-
tiis tribus ab eodem Simone, coëmit ma-
gnā vim, heróq; affert. Herus dimidium
percoquit, auriq; pondus, quantum an-
tea nunquā, educit. Omnibus præ gaudio
exſilientibus, ego dimittor; neque Simo
cunctatus, colligit ſarcinas, & abeun-
tem conſequitur, altero jam tanto di-

tiorem. Interim fama per viciniam vulgatur, dynaſtam in auro cudendo Mydam eſſe. Amici nobiles gratulantur, furniq; videre prodigium certant; facit iterum iterúmq; copiam, & furni ſpectandi, & auri explorandi dynaſta; uſque eò, ut victam naturæ contumaciam plerique autumarent. Sed pauci dies abiêre, cùm cæpit Arabicus pulvis deſiderari. Mittitur ex more puer; circumforanei quæruntur, tabernæ ſollicitantur, nuſquam viliſſimi pulveris neque nomen auditũ, neque veſtigium viſum. Italia conſulitur; aditur Hiſpania; in ipſa propemodũ Arabiâ pulvis Arabicus quæritur; neque in hunc diem invenitur. Ita deniq; cum multorũ riſu deceptum ſe dynaſta ſenſit.

44. *Mendacia per iugulum redeuntia.* Nos autem opimis ſpoliis aucti, noviſſimè in agrum hunc ſuburbanum devenimus. Ubi dum properamus incauti, ne præceps occaſus ab urbe nos excludat, per dumeta, juniperiq; cippos contentiùs ferimur. Et portis quidem admiſſi in urbem recipimur. Verùm ut in diverſorio ſarcinas depoſuimus, cum ingenti damno manticam ſive meam aſcoperam deſideramus. Quare infortunio mactati, noctẽ illam inſomnem agimus, primoq; diluculo egreſſi, & viam omnẽ

remen-

remenſi nihil invenimus. Conſultiſſimũ verò fuit, præconio pecuniam repetere; atque ei, qui quingentos reperiſſet, centũ indidem aureos polliceri. Potuit magnitudo præmii vel mutum excitare, ut indicaret. Jam præco per fora omnia perque compita vagatus, omnium auribus obſtrepebat. Audiit clamorẽ faber materiarius, qui, quod à me perquirebatur, invenerat. Is longè, quàm nos eramus, melior, præmio inductus, peram confeſtim, fide optimâ retulit. Quam ego, dum ſolerter examino, intactam, ſuíſque adhuc momentis obſeratam recognoſco. Aperio, & de aureis quingentis, inventori nummos quinque impertior. Ille ſpe ſuâ deceptus. Enimvero aliud præconem ait ſpopondiſſe; neque quinque nummulis liberalitatem, ſed centum philippeis circumſcripſiſſe. Sed mihi cũ aurum in pretio eſſet, facilè fuit fidem excutere; & proin fabro quiritanti, daturum me fuiſſe reſpondi, nî dantis munificentiam ipſe prævertiſſet, centúmque aureos de ſexcentis jam priùs ſegregaſſet. Hoc equidem commento ſperabam abigi hominem poſſe. At faber, eam verò luculentam injuriam dicere; ejuſque convitii cæpit teſtes advocare, & litem

conteſtatus, mecum in jus ire. Ego qui nihil præ auro ducendum credideram, pergo, iisdem mendaciis cauſſam defendere; & amiſſis ſexcentis philippicis non niſi quingentos recepiſſe me dicere. Ille item perſeverat, quingentos reperiſſe, eóſque ſolidos in perâ obſignatâ reddidiſſe. Judex vafro ingenio, & cui fraus ſubolere videretur, oſtendit aliquamdiu perplexum hærere ſe, neq; ab utrâ parte pronuntiaret, videre. Jubet tamen jurejurãdo dicere. Jurat faber ſublatâ manu, quingẽtos inveniſſe; ego me amiſiſſe ſexcentos. Uterq; teſtes, ille cives ſuos, ego Simonem hunc meũ adhibemus. Continuò judex ſurgit, cauſsámque hâc ſententiâ diſceptat. Quingentos philippicos, quos faber inveniſſet, videri ab alio amiſſos; oportere proin illos ſuo domino ſervari; mihi meos ſexcentos porrò quæritandos, dum & ipſi ab aliquo reperirentur. Non potuit me gravior ſententia damnare. Ita inſperatò jugulatus reſpicio, & ſi quid mihi Simo ſuggerat, expecto. Ille meipſo pallidior, parietem, quo ſe fulciret, requirebat. Faber interim ceu victor exultare, & cum pecunia diſcedere. Quem ego retortis oculis proſecutus, ingemui, ſatiusq; credidi

idi; ſi mendacium confeſſus, quadrin-
gentos reciperem, quàm ſi pertinax
quingentos perderem. Accido judici ſup-
plex, & flagitii veniam rogo; quingentos
utique hos à me, non ſexcentos eſſe a-
miſſos. Tolleret inventor centũ, quem-
admodum conveniſſet, reliquum mihi
redhiberet. Idem & Simo precabatur.
Sed quibus artibus numos expedire co-
nati ſumus, iis verò jugulos impedimus.
Neq; enim judex ſemel jam mendaci-
bus fidem habuit, & perjurii convictos,
pecuniâ multavit, & de furto ſuſpectos
in carcerẽ hunc detruſit. Nunc quæſtio-
nibus ſubditi, & omnia latrocinia con-
feſſi; ſupplicium expectamus Senes, quod
pridem juvenes commerueramus.

His in hunc modum à Laurentio com- 49.
memoratis, inceperunt etiam me hortari,
ut ſummam rerum mearum explanarem.
Ego fruſtra illos eſſe reſpondi, ſi fode-
rent. Nam longè me diſſimilem, ab om-
ni facinore ſemper abhorruiſſe, perque
ſolam innocentiam in illas Utopiorum
latumias perveniſſe. Hîc illi maximo
cachinno elati, meam innocentiam ri-
ſerunt; & cras, inquiunt, deſines tibi in-
nocens videri, cùm tormenta ſubigent
verum fateri. Nam neque noſtrûm ali-

quis huc nocens venit, tormenta primùm nocentes fecerunt. Carceris hoc hujus ingenium eſt. Quibus dictis, illi quidẽ condormierunt. Sed ego recrudeſcenti vulnere æger, rurſus in lacrimas lamentaque ruere; & jam orbos parentes, jam ſocios amiſſos, jam præcipuè me miſerari. Modò infamiam quæri, quæ generi eſſet inuſta; modò ſupplicium metuere, quod inſonti eſſet perferendum. Poſtremò cùm longis querelis profectionẽ hanc noſtram accuſaſſem, conſumptis omnibus lacrimis etiam ipſe in ſomnum dilabor, quanquam ille vigiliis fuit ipſis triſtior, cùm tot mihi lictorum carnificumq; manipulos idẽtidem objectaret; ac toties pæniſſimè elapſum è fugâ ad pœnam retraheret. Scitis quippè, quàm hæc noctis ſimulacra animos fatigent?

46. *Supplicium expectantis metus.* Manè ſimul atque evigilo, redeunt lacrimæ; redeunt & iidem, qui pridiè me incluſerant; atq; indidem eductũ, in amplum & amœnum triclinium cõpingunt. Ubi menſa lautitiis multis referta, vini, cibíque copiam faciebat. Hîc ſperabam Utopios primæ crudelitatis pœnituiſſe; pridieq; ebrios, nunc crapulæ ſuæ inſaniam damnare. Roganti tamen, quid repentina felicitas indicaret? ajunt harum

rerum

rerum cópiam fieri ſolùm iis, qui poſtridiè ſint ducendi. Tunc verò neque edere mihi, neque ſitim reſtinguere libuit, ſed germanus Tantalus inter uberrimã annonam, velut in publicâ fame, eſuriebã. Quem enim hæ mortuales epulæ delectarent, aut quorſum, etiam famelicus, eſitarem? nempe ut saginâ paſtus gladiator, poſtridiè in arenam rapi, ac pinguiori jugulo ferrum juberer recipere? Quámobrem abſtinui, atque impotus, impranſus, diem illum duravi: donec hodie ad lanienam publicam protractus, mimicam, ut vidiſtis, mortem oppetii. Quæ infortunia ſi vobis nihili videntur, jam per me licebit, rideatis; non item riſuri, ſi in eâdem tragœdia actores eſſe vos debuiſſetis.

Hanc noſter ANTONIVS rerum ſuarum ephemeridem, carcerisq; nocturni hiſtoriam nobis retulerat, pallore metuque deformis. Neque nos inficias ibamus, quin gravia perpeſſus, meam calamitatem longè ſuperâſſet. Tamẽ ut omnia denique in ludum deſiiſſe vidimus, deterſo mœrore, unanimes ridere ludentem fortunam, multaq; feſtivè alter in alterum dicere perreximus; quæ amicis tempus jocúſque ſuppeditabant. Antonius 47.

nius ipſe ac Georgius, ut ſi conſtanti felicitate uterentur, meum cum urſo contubernium libertimè riſerunt; viſi ſuum ſibi carcerem præ meâ foveâ optare. Nam inter homines, inquiebant, ſaltem pernoctavimus, apud quos morituri cauſſam diceremus: tu in belluæ luſtro captivus, indictâ cauſâ, mortem expectabas. Sed enim LUCIUS receptis è ludicrâ morte ſodalibus, innuit puero; cúmque, cùm in aurem aliqua dixiſſet; ab ſeſe ablegat; credo ut domi ſuæ novis hoſpitibus locũ appararet, quos paucis pòſt horis eſſet adducturus. Nam nobis in aulâ palatii, ubi Hermius degebat, adhuc morantibus, Antonius Georgiúsq; nondum ædes LUCII viderant. Ad hæc, ultra meridiem horæ proceſſerant, cùm illi nihil dum apud Hermium guſtâſſent, præter patrii moris juſculum, viníque modicum liquorem, inter bellaria. Rogatus igitur palàm Antonius, uti nobiſcum in Aulam LUCII tranſiret, diu ferociter repugnavit. Qui enim in publico, inquit, apparere, aut os meum populo auſim oſtendere? Hærent ruboris hujus veſtigia, & hærebunt, donec Utopios meminero. Hominem bono genere ortum, & optimis diſciplinis ini-

tia-

riatum, ſic illi ad ſatiandas cupidines ſuas abutantur? Et eſto, luſerint, neq; ferriâ crudelitate ſanguinem hauſerint: an parum fuit pro latrone duxiſſe, inter latrones & vinxiſſe & condemnaſſe? Vos tamẽ hanc ipſam infamiam umbrâ nunc aliqua tectam in lucem producere laboratis? Atqui ego ſic ſtatuo; noctem, aut certè noctis crepuſculum hîc expectare, primiſque tenebris urbe excedere; neq; de cetero ad inhoſpitales hos Utopios unquam redire. Ita quidem Antonius. Sed Annius tamen atq; Dorylas, nobiliſſimi juvenes obtinuerunt, ut morem vellet gerere, & noctem adhuc diémque promitteret. Pacatior deinde. Tu autem, inquit Georgius, quemadmodum à me aberrâſti? & quomodo in ſilvâ amiſſus, ad meum infortunium huc rediiſti?

Ego verò non abſimili, inquit Georgius, errore actus, dum hoſtilem effugere globum cupio, ſodalem amitto. Nam in eo, quem ſuprà dixiſti, ſtrepitu, cæpi lævorſum à via deflectere, & tantò ſecuriores nos credere, quantò celerrimè longiſſiméq; recederemus. Ab eâ parte 43.

Silva fuit, latè dumis atq; ilice nigrâ
Horrida; quam denſi complerent undiq; ſentes.

Illac

Illac improvidè properantem, neque facilè in metu, inq; tenebris reſpicientẽ,

Rara per occultos abduxit ſemita calles;

Ibi ut evaſeram hoſtes, ſteti feſſus, ægréque ex curſu animam reciprocans, fruſtra Antonium meum requiſivi. Et, Antoni, exclamo!

---- infelix, qua te regione reliqui?
Quáve ſequar? rurſus perplexum iter omne revolvens
Fallacis ſilvæ, ſimul & veſtigia retro
Obſervata lego, dumisq; ſilentib' erro.

audiit vociferantem, ultima furentum acies, qui jam urbem repetebant: nec diu cunctati, vocem perſequuntur; atque ad me perveniunt, viginti omnino, venatores an aucupes; an neutri, haud liquidè ſcio. Nam canibus alii latrantibus cincti, alii geſticulantibus ſimiis obſeſſi; nonnulli accipitres aut noctuas complexi, incertum fecêre, quos arbitrarer. Res docuit, perſonatos prædones fuiſſe, eoſdem, qui & te, Antoni, exceperant; quanquam id ego tum neſciebam. Ii me pertinaciter renitentem, fidemque Quiritium publicam implorantem abſtraxêre; atque oculis obvelatis, inter graveolentes crapulæ ructus, eò denique perduxerunt,

rerunt,ubi biduũ hoc remanſi Qui qualis locus fuerit, quidque uſuvenerit mihi quando neſcitis,paucis explicabo.

49. Diæta eſt hujus palatii ampla quædam & amœna; cujus interdiu parietes picturati, pars aulæis Babyloniis, pars elegantibus tabulis prætexuntur. Vidit utique Hermius, novitq; locũ. Diceretis omnia vivere. Ibi ſe Parrhaſii colores, ibi Timãthis artes; ibi Apellis imagines longo ordine conſequúntur. Inter quorum artificum labores incluſus, niſi libertatem unà cùm ſociis amiſiſſem, poteram beatulũ me autumare. Tum verò vel palatium mihi carcer fiebat. Quid enim jucũdum eſt in metu? Aut quis futuri incertus, poteſt ſecurè præſentibus lætari? Ego tamen in illa formidine, & ſomnũ capere debui; nocteque tota corpori conceſſa, animum diurnis calamitatibus reſervare. Ubi diſpulſa caligine dies ſubiit,miratus ego ſolitudinem, quæ circumerat, conſurgo, & ſi quà effugere liceat,requiro. Verùm ut oppeſſulatis foribus fruſtra fui,multa me perturbârunt. Nam neq; quod hoſtium genus eſſet, apud quos detinebar, neq; quid ii molirẽtur,pervidebam. Adhæc memineram aliquos ita olim eſſe interceptos, qui deinde

Etiam in læta ſæpe domo triſtis carcer.

de ergaſtulis incluſi miſerrimam ſervitutem ſervierint; quorum exemplo forſitan & mihi vivẽdum eſſe, aut pereundum. Quid ſi & inediâ me longâ enectum, in regio hoc mauſoleo ſunt condituri? aut ſiti potiùs afflictum periment? aut ſolitudine certè, ceu mitiori ſupplicio conficient? Deniq; dum nihil certi ſciebam, omnia perinde formidabam. Has igitur animi tempeſtates ut mitigarem, placuit pendentium tabularum imagines contemplari, eóq; ſpectaculo diem fallere. Res invenio mirificè ſtultas, ſed eo tamen artificio pictas, quo ſe ipſa pingere natura vellet, ſi penicillum haberet.

50. *In ipſo melle amara natatio.* Prima mihi tabella ſilvas monteſque Sarmatarum, ac barbari cujuſdam nemoris vivum horrorem exhibebat. In cujus picturæ umbilico vetula quercus excavata, magniſque apum examinibus obſeſſa, uberi melle fluere, ad arboris radices fovea depreſſior, eum imbrem excipere; Sarmatáq; melleo lacu immerſus, indidem urſæ auxilio extrahi, videbantur. Quæ etſi magna fuit coloris artisque illecebra, hiſtoriæ tamen cupidior, circumſpicio, & ecce marginibus poëma inſcriptum Id quia haud illepidum, otioſus totidem verbis exſcripſiſſem, ſi pen-

æ chartæq; mihi copia fuiſſet. Interpellavit Georgium Hermius, &, hoccine carmen eſt, inquit, quod mihi jam olim ex illo tabulino, quemadmodũ alia multa deſcripſi, atq; in hunc libellũ retuli? Inſpexit Georgius, & Hermio, eſt ſane hoc, inquit, ipsũ, & ecquid legimus palàm, ut his etiã ejus guſtulum præbeamus? Hermius, etſi perſæpe id legi, quin hodie tamẽ, inquit, vobiſcũ recognoſcã nihil intercedo. Igitur ſic incepit:

Lucus Hyperboreas ubi proximus aſpicit Arctos;
Tardaq; pinifero ſuſtinet Aſtra iuge:
Læta ibi pẽnigero plaudũt aviaria fatu,
Et fovet indigenas plurimaquercꝰ apes.
Antra fluũt inibi mellito pinguia ſucco:
Et vetulos ſervat multa caverna favos.
Non ovibus, non mulſa deeſt ibi lympha iuvencis,
Et vorat Hybleas Vrſus & urſa dapes.
Fortè per illa vagus reptabat teſqua colonus,
Mellifero cupiens quærere furta ſpecu.
Hîc ubi luſtrato nemus exiit omne receſſu
Devia fortuito venit ad antra gradu.
Arbor in accliui ſtabat malè pẽdula ſaxo,
Iamq; erat emeritæ nulla medulla trabi:
At cava ne nullã ſervarent robora vitam,
Vivum

Vivus in exanimi ſtipite catus erat:
Catus Apum; magnis qui par legionibus ibat,
Mella per irriguos cùm legerētur agros.
Omnia dixiſſes Siculis examina pratis
Illius in vacuos arboris iſſe ſinus.
Deniq́ue iam nimio quercus ſaturata Falerno,
Exundare ſuas ebria iuſſit opes.
Inde coacta ibant in grandes mella cavernas,
Stagnabantq́ue pigro deflua mulſa lacu.
Iamq́ue palus poterat, poterant iam ſtagna videri,
Ni liquidum tegerent cruſta gelata vadum.
Ruſticus hanc igitur dum ſarmata peremeat Hyblam,
Fallaciq́ue audet credulus ire ſolo;
Labitur, & rupto fovea cōſumptus hiatu
Implicuit trepidos rore tenace pedes.
Vtq́ue magis ſeſe atq́ue magis ſubſidere ſenſit,
Iamq́ue genu mergi pectare iamq́ue femur;
Pallidus, ò ſuperi defendite, dixit, at inter
Dicta, repentinus fluxit in ora liquor.
Tum pugnare lacu, lentiq́ue coagula mellis
Nil profectura diſſociare manu.
Tunc pedibus, totoq́ue miſer contendere trunco,
Et grave ſupremâ ferre palude caput.
Deni-

Deniq; conatus licet omnia Ruſticus, hæſit
Ruſticus Hybleis undiq; merſus aquis.
Sic ubi conſumptâ vires tacuere medelâ,
Inſtitit externam quærere captus opem.
Arva rogat; Nuſquam ullus erat. Rogat Aſtra; roganti
Mutua qui ferret murmura, null⁹ erat.
Interea bis Phœbus aquâ ſe lavit Iberâ,
Pallida nocturnos bis ſoror egit equos,
Nullus adhuc ſpondebat opem. Tunc genua lababant,
Raucaq; defectus fugerat ora ſonus.
Nil niſi de vivo reſtabat lacryma vultu,
Cetera ſemianimum membra cadaver erant.
Ipſe prius mutũ cecinit ſibi præfica leſſum,
Mortua quàm tumulo conderet oſſa ſuo.
Certè, ait, ut multi tumulo meliore quieſcant.
Dulcior eſt nulli quàn mea tũba mihi.
Dixit, & extrema converſus ad æthera nutu,
Nunc, ait, ô oculis Aſtra valete meis,
Vos quæſituris mea prodite funera natis,
Nam vos ſola meus conſcia caſus habet.
Vix er...; cum ſtreperi turbantur murmure ſentes,
Calcanturq; fero preſſa vepreta pede:
Omnis ab horrifico tremuit vicinia curſu,
Præ-

Præſentemq; vident territa teſqua feram.
Tum licet in jugem properaret Sarmata noctem,
Sarmata lethifero tollit ab amne caput.
Monſtrum informe videt. Catulis comitata duobus
Cominus è denſo proſilit Vrſa rubo,
Perq; vagos nemorum celeri pede rapta meatus,
Currit ad ambroſio ſtagna repleta mero.
Gratuitisq; gulã dapibus non parca ſaginat,
(Nobilis o qualẽ paſcis, Hymette, famẽ!)
Hic quid agat, dubio perplexus Sarmata voto,
Clamet? erit Geticæ præda cupita feræ.
Ceſſet, inhærẽtis perimetur glutine mellis.
Vtraq; funeſtas Mors habet exequias.
Mella tamen lentè properantius urſa noceret.
Mitior urſa proin' credita melle fuit.
Ergo ſilens cauto componit brachia flexu,
Adverſam capiat dum fera paſta fugã,
Poſt ubi dapi brutum ſaturavit Hymettia ventrem,
Securúmq; lacu capit abire pecus.
Ruſticus attollens è lento brachia viſco,
Corripit iniectã terga ferina manu.
Inſcia tũc laqueo ſe credidit urſa teneri,
Et

Et ſua fatali tergora capta ferâ.
Licet ergo vocat penitus è pectore vires,
Tergora poſticis ſolvat ut inſidiis,
Iſque laboranti tamen imminet hamus,
& hæret, *(mitt.*
Et magis illa trahit, quò magis ille pre-
Deniq; dũ trahitur, luctatur uterq; tra-
Ille ſua pugna victor, & illa fuit. (hitq;
Urſa quidẽ excuſſo latiſſima põdere fugit;
Sarmataq; è liquido carcere miſſus iit;
Sic pariter capis urſa fugam, ſic Sarma-
ta vitam,
Sarmata mellito pane perempte lacu.
Liquerere, & ſolis mortem puta ineſſe ve-
nenis: *(habet.*
Quo gula plus mellis, plus gula mortis
Placuit nobis pleriſque carmen; & Geor-
gius, Reſpiravi, inquit, ſimul hoc Epi-
gramma perlegi? & utique non barbaros
loci inquilinos credidi, quibus hæc Mu-
ſarum humanitas noſceretur.

Progredior alteram imaginem perlu-
ſtrare. Ea verò quas fabulas repræſenta-
ret, adſcripto hoc commentario explica-
bat. Homo erat impoſtor, qui editis inge-
nii exemplis, varios jam diu ludificârat;
quidvis impunè auſus; Crumenas de ſinu
revellere; pallia ab humeris diripere, pi-
leos capitibus ſubducere; &, niſi impensè

51. Fur furtum Domino ſuo vendit.

vigilares, ipſas currentibus ſoleas harpagare doctè uſque in miraculum ſciebat. Nunquam illi neque ad facinus audacia defuit, neque ad fraudes ingenium. Hic ædes fortè quaſdam ingreſſus nobile tapetum, ſubtemine ſerico textū rapuerat; & cum eo ſpolio jam ad domus januam deſcenderat, cùm exeunti occurrit in limine paterfamilias; qui de foro regreſſus, oppidò miratur, rogatq; quid homini ignoto negotii fuerit? Ille non abſurdè conjectans, earum ædium dominum eſſe; capit in arenâ mendaciū: Egiſſe cum familia, tapetum ut emerent: At illos abſentiam patrisfamilias cauſſatos, abnuiſſe; aut certè mercem pretioſam non ſatis agnoviſſe. Simul evolvit, laudatq; mercē. Ejus jubetur pretium indicare, indicat. Dominus, ei ſe tapeto alterum planè gemellum habere confeſſus, haud gravatè mercatur. Numerat aureos viginti, atque hominem à ſe dimittit. Inde ad uxorem, & quàm bene emerit, narrat: Dudum fuiſſe, ut alteri ſuo propetaſmati geminum quæreret, id inſperatò nunc reperiſſe. Ita multum ad lucri rationes intereſſe, ſi quidque in tempore emeretur. Jubet deinde cum altero ſuo componi, & utriuſq; ſimilitudinem examinari. Diu quæritur,

ac poſtremò tanta reperitur ſimilitudo, ut ipſémet paterfamilias doluerit, emptum propetaſma veteri ſuo tam ſimile fuiſſe. At vaferrimus impoſtor, ut in tutum evaſit, ridens apud ſuos jactavit, nihil ſe à prætore jam metuere: rem enim, quam furto ſublegerit, ipſimet Domino redhibuiſſe.

Non potuit deinde furaciſſima manus diu quieſcere. Viderat enim (ut ad tertiam imaginem tertia exponebat tabella) in urbe publicum ſolarium magnificè ornari, & omnia periſtromate argenteo veſtiri, neque aliquid ad loci ſplendorem omitti, quo per Comitia Imperator acciperetur. Explorat ſedulus omnia, qui cuſtodes excubent, qui homines admitti, qui excludi, qui liberè per aulam vagari ſoleant, & ſi qua alia ſunt furibus cognoſcenda. Omnibus ad inſidias comparatis, palatium anſatus ingreditur; ſequuntur famuli duo, exercitati nebulones. Ille inter diſcurſantium turbam circumit, ſtomachabundus; aliáque ex aliis contemplans, ad peripetaſmata, quæ dixi, pervenit. Ibi multa indignatur, jam hæc inconcinnè pendere; jam alia breviora, vix dimidium parietis tegere, aliqua autem dependula, pavimentum pæne ipſum e- 52. *Alius periſtromatum publicus Harpax.*

verrere: in aliis aliud cauſſatus; vultuosè per aulam ambulabat. Inter hæc verbis miniſq; famulos increpare; quid agerent ſtultiſſimi bardi, qui tam abſurda non caverent; cui enim bono & iſta, & iſta poſſe probari? Irent igitur, lociq; dedecora tollerent, & centonibus detractis aurata continuò aulæa ſuſpenderent. Illi jam edocti, nequicquam purgare ſe; & neſcio quem *neminem* culpis onerare: atque interim tamen aſcendere, omniaque ornamenta parietum refigere; &, ecquid præterea juberent, rogare. Ille clarâ voce, bajulos objurgans, jubet peripetaſmata ad ſuum cubiculum deportare, indidemque alia, quæ vellet, depromere. Parent; in ore omnium abeunt. Nemo intercedit; nemo ſuſpicatur. Sequitur ipſe, & ut quemque obvium habet, pergit ultro in ignaviſſimos fucos convitiari, qui viliſſimorũ centonum laciniis diætam Imperatoris inquinaſſent. Quid multis? interdiu, in turbâ, palàm; impunè palatium Cæſaris audaciſſimus impoſtor ſpoliavit. Quod multi, etiam poſtquam factum eſt, potuiſſe fieri negabunt. Diſceſſit igitur veterator, & ſpoliis opimis auctus, multa nihilominus maleficia deſignavit.

53. Certè enim, quemadmodum quanti

parie-

parietis pictura ſcripturáque indicabat, eum comite quodam, ſeipſo nequiore, publicum diverſorium petiit; biduúmq; totum inter compranſores helluo perpotavit. Ii dein abituri, juſſerunt œconomum rationes putare. Ait hic, nomina illos feciſſe decem Philippeûm. Hîc incipiunt illi ex compoſito litigare, & uter ſumptus faceret, contendere. Poſtremò ſic cauſſa deciditur: ut ejus rei arbitrium Oeconomo permittatur; eique oculi priùs arctè ſudario ligentur; qui deinde per hypocauſti ſpatia diſcurrens, duorum alterum fortuitò comprehendat: utrumvis cepiſſet, is unus contracta nomina expediat. Oeconomus nondum in fallaciæ ludo verſatus, probat conſilium; clauſisq; oculis, & linteo prorſum impeditis, ſtultiſſimus andabata divagatur. Quos dum tali venatu perſequitur; ſæpe in parietem amens incurrit; ſæpe irritus fornacem prehenſat; ſæpe dum pronus affligitur, à duobus effusè ridetur. Et hi aliquamdiu perſeverant, jam vitare ſcrutantem, & exire: jam velut in diſcrimine pœnéque deprehenſi, clamitare: rurſus ſilentio & metum ſimulare & foribus appropinquare; donec utrique opportunum tuiçut captatâ fugâ per januã clanculo elabe-

Caupo ludendi luditur.

laberentur, nuſquam porrò reperiendi. Verùm Oeconomus, etiam dum ignarus, pergit nihilo ſegniùs tanquã adhuc præſentes irrito conatu prehendere; crebróque pedum ſtrepitu denique cauponem, qui ſubter agebat, perturbare. Is perinde ignarus, accurrit, viſum, ecquis tumultuetur? Videt cæcum hiſtrionem in ſtultitiæ theatro agere; aut certè andabatam cum inanibus umbris velitari. Itaque dum ingreditur, œconomus cùm tenebris, tum vertigine confuſus, reperiſſe tandem ſe, quem quæreret, arbitratur. Proin' dominum turbidiſſimè invadit, conſtringítque. Caupo, quòd hominem furere crederet, territus exclamat, ſeſeque ex complexu proripere laborat. Oeconomus, ne malum nomen ad ſe profugeret itidem clamores tollit, arctiúſque hominem aſtringit. Vocat opem familiæ dominus, vocat œconomus: queritur ille ſe à furioſo teneri; hic ſibi ab obærato deberi. Oritur ingens vociferatio. Concurrit in ſpectaculum vicinia, dominúmque vi eripit. At Oeconomus ſuum ſibi debitorem queſtus eripi, confirmat inſaniæ opinionem. A quatuor proinde validiſſimis ſervis comprehenditur, atque per pedes manúſque ſublimis attollitur:

inai-

ndidem in moriæ caveam compingen-
lus publicâviâ deportatur: ridentibus a-
iis, quod identidem clamaret, non ire ſe,
cùm inter manus potaretur. Triduum
ibi totum coactus fuit pro inſano morari
miſer; quo toto tempore meditabatur,
quibus tandem argumentis inſaniam cõ-
futâret; neque reperit tamen, cui ſanum
ſe eſſe perſuaderet. Quæ illi res hodiéq;
multum incommodat. Nuper enim lecto
ſenatu, ſperabat Conſulem ſe futurum,
niſi hæc illum ſtultitia diffamâſſet.

Cæterùm is, quem dixi, tenebrio, mox 54. *Manus*
in aliam urbem tranſgreſſus, novis ibi- *furis in*
dem molitionibus, obvios omnes reddi- *ſacco de-*
dit infeſtos. Nam, ſicutè quintis colori- *prehenſa*
bus litteriſq; tholo inſcriptis erat intel-
ligere, præter alia plura, conſpecto fortè
nobili Germano, qui patriis artibus, nihil
tectum præ ſe ferret, dedit negotium Fu-
ſco comiti ſuo, quemadmodum illius
marſupium compilaret: quod adoleſcens
incautè alicubi oſtenderat. Ipſe interim
verſutior, quendam Hiſpanum obſerva-
bat, qui quotidie numatus in forum de-
ſcendere, & quæque pretioſiſſima licita-
ri conſuêrat. Hunc ille jam olim ita ſpo-
liârat, ut inditâ clàm manu, ſinus illius
exploraret, loculos egregiè fartos educe-

ret. Sed homo Hiſpanus ab uno jam documento ſapientior, ne ſæpius conflictaretur, feſtivum capit conſilium, furis capiendi. Quà ſinum aperiebant femoralia, laqueos inſerit ferreos occultos; quibus coëuntibus immiſſa manus tenaciter vinciatur. Inde iterum ijt in turbam; fur iterum in illum, uterque ſui ſecurus. Jam juxtim adſtabat, manúmque furtim in veterem ſinum intendebat. Vix autem eò ſe tota manus immerſerat, cùm coëunt inſperatò vincula, & laqueo violenter adſtricto fur impeditus, nuſquam movere ſe infelix, nuſquam vertere poteſt. Inter hæc ſentit Iberus attineri feram, neque eâ poſſe naſsâ exſolvi; nihilo minus tamen diſſimulat, totoque foro pervagatus, hederaceam appendicem traducit. Credebant alii unum aliquem de neceſſariis eſſe, qui operam rogatam amico præſtaret: at ille ut ſi nec videret comitem, nec ſentiret, ita nullo ſe ullo indicio prodebat. Et fur pari modeſtia cum eodem agere; quacunque iret comitari; ubi ſubſiſteret, ſtare; cùm ſe verteret, verti. Diceres omnia illum dexterrimè aſſentari: nec vidiſſes olim aut amicum humaniorem, aut comitem modeſtiorem, aut ſervulum promptiorem; qui unà vel

in

n undas rueret, vel in ignes tenderet, vel quocunque præcederes, ſubiret. Cùm Iberus in hunc modum pleramque urbem peragráſſet; ante ædium amplarum fores noviſſimè conſiſtit; & cupere ſe cum patrefamilias in colloquium venire, oſtendit. Admittitur, haud gravatè; ſed neq; dum â corpore diſcedit umbra. Occurrit hoſpiti in limine herus, (qui quidem ſummus in urbe, prætor agebat) & humaniter, ecquid ſe hoſpes velit, expectat. Ait Hiſpanus, arcanum eſſe, neque coram arbitris id pandendum. Seducitur in cubiculum interius; ſequitur & hedera, jam pridem malè ſibi eventurum intelligens. Ait hoſpes, neque ibi dum tutò poſſe tranſigi, quòd præter judicem cæteros oporteat exceſſe. Prætor, Achatem ergo fidum jubet dimittere. Iberus, cum verò ait ſecum, neſcio quo frigore, concreviſſe; manúque in vinculis oſtensâ, narrat feſtivè, quâ muſcipulâ ſoricem exceperit. Admiratus prætor & furis audaciam, & Iberi ſolertiam; lictores adeſſe continuò, manúmque abſolvere, & jugulum juſſit nectere. Ita pallidiſſima buxus in carcerem tantiſper abripitur, dum poſtridie de furca ſuſpendatur.

Fure in vinculis habito, Fuſcus, quem 57.

Colaphis cruentā emit crumeniſeca.

ille ſibi aſciverat, adverſus nobilem Germanum, ſed ſtolidè incautum, proſperè dimicat. Eum quippe, ut in teſſellati operis menſa vermiculatum emblema, additaque verbatim hiſtoria monſtravit, in perampla porticu adortus, umbone primùm, ac mox etiam pugno percutit. Ille contumeliæ impatiens, verberantem haud leviùs repercutit. Fuſcus inſtitit defendere, magisque irritat. Venitur è pugnâ ad luctam; volutantur humi uterque, & aliquamdiu alterni ſuccumbunt. Conſultò denique vincitur Fuſcus; qui dum egregiè contunditur, malæque illi ambæ & genæ non perfunctoriè cæduntur; vaferrimus luctator Spartano robore plagas omnes durat; & interim lubricante manu, in latentem adoleſcentis pecuniam graſſatur. Poſt ubi potuit callidus, quicquid voluit jocoſo tollere furto, incipit victum fateri ſe veniamque petere. Germanus, datâ veniâ, redit anhelans, ad ſuos; & quantam retulerit victoriam glorioſè jactat. At ii non perinde ſimplices, malè ominatam pugnam deteſtati, jubent penitius in victoriam incruentam inquirere. Nam haud ſanè de nihilo factum videri, quòd ille gladiator jugulum tam facilè præbuerit, manusque victori

ſe-

etenderit. Verendum eſſe, ne quo ſtra-agemate victorē ipſum imbellis triumphârit. Adoleſcens, etſi nihil metuebat, explorare tamen ſinum inſtitit; & ecce, loculos miſer, aureóſque plus ſexaginta, in eo conflictu perdidiſſe ſe animadvertit. Quo demum apparuit, quanto hic infelicius vicerit, quàm alter victum ſe ſimulârit.

Ab ea velitatione Fuſcus dum ſuum per urbem magiſtrum quærit, inſcius facti, à lictoribus ipſe reperitur, atque ad eum deducitur. Ibi quid factum, alius mihi locus oſtendit. Nam ſexta imago muris ſupra ipſos januæ poſtes impicta, ipſam hanc utriuſque ſecus appoſitam exhibebat narrationem. Poſtridie in quæſtione immania confeſſi, uterque ad patibulum auctorantur. In ea calamitate non deſeruit ſe impoſtor; ſed carnifici ſeorſim à turba auri obryzi complures numos condonat, & ſi qua arte efficiat, ut à patibulo redivivi uterque deſcendant; enimvero tum Philippicos mille poſtulatos, quos alicubi defoſſos habeat, eidem liberaliter additurum. Carnifex & præſentis auri ſplendore ictus, & multò magis pollicitatione erectus, adpromittit, modúmque

56. Spes ultima furum.

rei gerendæ oſtendit. Poſtero die carce-rem ingreditur, ſectiſque loris humeros occultè circumdat, à quibus librare ſe ipſi tantiſper poſſint, dum rurſus à furca detrahantur. Rebus ex ſententia compoſitis, editur ferale ſignum, reique ære funeſto evocantur, fertur ſententia, ut laqueo nexi ſublime pendeant. Gratulati fures hoc ſibi ſupplicio, audiũt multos intempeſtivè miſericordes ad prætorem accurrere, rogatum ut mitiùs in damnatos advertat, & ferro, quippe leviori letho plectat. Ea verò miſericordia non magis damnatos terruit, quàm ipſum carnificem occidit. Reclamant igitur ambo, patibulum ſe commeruiſſe; ſervent hanc aliis miſericordiam judices, qui minùs atrociter deliquiſſent, ſe qua lege damnati fuiſſent, morituros. Ita precariò obtinuerunt, ut in furcam denique agerentur. Carnifex, ne quo indicio fraus pateat, ſimul ac de ſcalis eos præcipitavit, ora ſuper inductis pileolis dexterè contegit: ipſi mortem, quàm optimè licuit, ementiuntur: populus à funere in urbem regreſſus, non niſi vixiſſe ſuſpendiarios credit. Ingruit ſubinde diei veſper, & illi jam ſimulando,

lo pendendóque feſſi, oculos aliquando recludunt; ac ſpectatâ circùm ſolitudine, redivivi duo confabulantur; hinc anxii, ne quâ ſuâ ſpe fallerentur; inde læti, ſi eventa porrò ſuccederent. Adhuc uterque fic pendent, & in novum jam ultrò conjurant; quémque liberatorem ſuum expectant, eum etiamdum capti condemnant. Quippe rationes ineunt, ſceleris conſciſcendi, ſimul ac laqueo experditi à Carnifice fuiſſent. Et ille quidem ægrè noctis tenebras præſtolatus, ubi nullo ſe arbitro ſenſit impediri, quàm primùm ad infame theatrum ſolus decurrit. Reperit incolumes ambos. Quibus continuò liberandis admovet ſcalas, exſolvit manus, reſtimque innoxiam tollit. Illi vegeti ac geſtientes, dum ſubditis ſcalis excipiuntur, jamque in tuto ſe vident, laqueum, quem ægrè dum exuerant, Carnifici haud ſegniter injiciunt; cumque primò nihil hujus metuentem, pòſt etiam obnitentem, repentè à patibuli furca ſuſpendunt.

Hîc Autor manum de tabulâ; vel, ut etiam lectorem ipſe ſuſpenderet, certâ voluntate, & more Poëtis recepto, qui malunt poëmata abrumpere, quàm finire; vel temporis inopiâ, atque maturitate mortis. Protracturus enim fortaſſe, certè plurima, in hoc Opere.

Emendaturus, ſi licuiſſet, erat.

IN-

INDEX RERUM,

Quæ in Utopia continentur.

Liber I.

Num. 1. *Ingreſſus in fabulas.* Fol. 1.
Num. 2. *Egreſſus in hortum ſuburbanum.* ibid.
Num. 3. *Socius ambulationis, & locus.* 2
Num. 4. *Qua lectio aut confabulatio honeſtos debeat oblectare.* 3
Num. 5. *Ruſtici fabula de iis, qui beneſacta maleſactis compenſant.* 5
Num. 19. *Vulpis aurigam & lupum decipientis fabula.* 26
Num. 21. *Lupus piſcator.* 31
Num. 24. *Ovicula & lupus.* 34

Liber II.

Num. 1. *Secunda diei ambulatio & Colloquium.* 36
Num. 2. *Iter in Vtopiam.* 37
Num. 3. *Obvius miſer.* 38
Num. 4. *Hoſpitium inhoſpitale.* 39
Num. 5. *Ficta Cognatio.* 40
Num. 6. *Hoſpitis exceptio.* 42
Num. 7. *Convivium.* 43
Num. 8. *Prolixa ſenis conviventis garrulitas de variis caſibus.* 45
Num. 9. *Loquacis caſtigatio.* 50

Num.

Num. 10. *Fabula continuatio.* fol. 50
Num. 14. *Aries & dormiens.* 57
Num. 15. *Monachi & Prædicantis metamorphoſis.* 58
Num. 19. *Prolixa garrulitatis moleſtia.* 69
Num. 20. *Ebrius officioſè cubitum ducitur.* ibid.
Num. 21. *Cloaca dolus.* 72
Num. 22. *Feminei hoſpitii perfidia & rapina.* 73
Num. 23. *A prædonibus & puteo captus liberatur.* 74
Num. 24. *Sepulchro captus & liberatus.* 76

Liber III.

Num. 1. *Prandium è meris herbis & plantis ac nova fabulæ exordium.* 80
Num. 2 *Patria & forma ebrii de Vrbis ſua genio indicium facientis.* 81
Num. 3. *Alterum malè ſobriæ urbis præconium.* 82
Num. 4. *Larvati temulentiq; inceſſus.* 84
Num. 5. *Dives ſparſio perſonatorũ.* 86
Num. 6. *Larvis tecti amici.* 87
Num. 7. *Teſſerarum ludus.* 89
Num. 8. *Anxietas è ludo orta.* 92

Num.

Num. 9. *Perſonati illuſores.* fol. 93
Num. 10. *Sociorum agnitio.* 96
Num. 12. *In foveam lapſi vanum auxilium.* 99
Num. 13. *Foveâ capti ſolicitudo.* 102
Num. 14. *Homo & Vrſus unà capti.* 103
Num. 15. *Captus fovea educitur.* 105
Num. 16. *Lupus captus.* 107
Num. 17. *Vrſi populatio & Venatio.* 108
Num. 18. *Occaſio in Vtopiorum metropolim veniendi, eorûmque bibacitas.* 112
Num. 19. *Portentoſi potatores.* 113
Num. 20. *Vinolentorum in vini amatores injuria.* 116
Nũm. 21. *Cœna apparatus & excuſatio tenuitatis.* 117
Num. 22. *Pavonis artificioſum ferculũ.* 118
Num. 23. *Fons penſilis.* 119
Num. 27. *Convivtorum luxus & inſania.* 125
Num. 28. *Convivialis ſymphonia.* 127
Num. 29. *Abſente Domino, famuli culina & cellæ dominantur.* 129

Liber IV.

Num. 1. *In campis animi causâ abnoctant.* 150
Num. 2. *Fabula ſuperioris continuatio.* 151

Num.

Num. 3. *Larvatorum agmen num. 4. Eorundem ſtultitia. num. 5. Satyriſci.* 152 & 53
Num. 6. *Venatores num. 7. ebrius ruſticus pro fera captus num. 8. Garrula reſponſio nulla reſponſio.* 154. 55.
Num. 9. *Larvatus barba incendium infert.* 156
Num. 10. *Ebrius omni ludibrio obnoxius.* 158
Num. 11. *Ruſtici in regem metamorphoſis.* 159
Num. 13. *Muſica & Muſca malè quadrant.* 160
Num. 14. *Imperfecta imago Herculis.* 162
Num. 16. *Poëtarum ſibi invicē applaudentiū paradigma nū. 17. Indoctorū abſurditas:* 166
Num. 18. *Clamori Nocturno in aulis parcendum.* 170
Num. 19. *Nocturni furis verſutia.* 171
Num. 28. *Aurea Neronis canatio.* 188
Num. 29. *Antiqui luxus imitatio.* 190
Num. 30. *Ruſtici ſeipſum non agnoſcentis ſcena.* 191
Num. 32. *Alicorum ruſtico os ſublinentium ceremonia.* 195
Num. 34. *Medicos ſe mentientium mendacia.* 198

Num. 35. *Inſanus caput ſuũ quærẽs.* 199
Num. 36. *Inſanorum muſca & intemperia curata.* 200
Num. 37. *Alia inſani cura.* 201
Num. 38. *Diluvium metuentis delirium.* 202
Num. 39. *Mortuum ſe eſſe perſuadentis furor.* 203
Num. 40. *Mortis ſimulator hominem & urſos decipit.* 204
Num. 41. *Exemplo ſani curatur inſanus.* 206
Num. 42. *Naſi portentum.* 207
Num. 43. *Grande caput alterum habere perſuadens, furtum excuſat.* 208
Num. 44. *Ruſticus perſuaſione ſe Regem eſſe credit, & pro eo ſe gerit.* 210
Num. 46. *Auriga inter nobiles accumbentis feſtivus & utilis iocus.* 21.
Num. 47. *Humana pompa cataſtrophe.* 215

Liber V.

Num. 1. *Nocturna quies & inquies, ſeu ſomnium natantis.* 218
Num. 2. *Somnium in formicas incidentis.* 220
Num. 3. *Pice inquinati ſomnium.* 221

Num.

Num. 4. 5. 6. *Somnium lupum tenentis. num. 5. plumati ſomnium hominis num. 6. inquietè dormientis ſigna.* 222. & 223
Num. 7. *Non à quavis re timendū. num. 8. Iudicium theatricum.* 225
Num. 9. *Falſa latrocinii accuſatio* 227
Num. 10. *Locus latrociniis infeſtus.* 229
Num. 11. *Fuga. num. 12. latebra.* 230 & 31
Num. 13. *Furum infelicitas.* 232
Num. 14. *Bos peram furi aufert.* 134
Num. 15. *Prædones Titium capiunt.* 135
Num. 21. *Alia prædonum pericula. num. 22. in arbore abſconditi pericula.* 242
Num. 23. *Spes & lætitia vana.* 244
Num. 24. *Crudele genus latrocinii.* 245
Num. 25. *Nova ſpes, num. 26. Novus metus cum felici audacia coniunctus.* 246
Num. 27. *Accuſationis epilogus.* 248
Num. 28. *Innocentis ſeipſum defendentis oratio.* 250
Num. 29. *Amiſſi ſocii agnitio.* 251
Num. 31. *Damnatio innocentis.* 253
Num. 32. *Mors mimica.* 254
Num. 33. *Ruſticus unius diei ridiculus Rex, in Iudiciū adducitur.* 255

Num.

Num. 34. *Varietas hominum in foro comparentium.* 256
Num. 35. *Socius inſidiandi cauſſa.* 257
Num. 36. *Leporum & luporum occurſus ſuperſtitioſè acceptus.* 258
Num. 37. *Fures mortem, cacodæmonem, & Genium cuſtodem fingentes avarũ ſenem ſpoliant.* 261
Num. 41. *Callidus peram cum pera permutantis dolus.* 267
Num. 42. *Alia ars Mercurialis, aurum pro plumbo faciendi.* 268
Num. 43. *Ingenium nihilo ementis omnia.* 270
Num. 46. *Vtile aliis, domino autem fallax & perniciosum dominiũ.* 272
Num. 52. *Fictè accuſati ficta damnatio & fictum ſupplicium.* 283
Num. 55. *Nova per ludum innocentis accuſatio.* 286
Num. 57. *Locus ſpectandi, & ſpeculi ludibrium.* 290
Num. 58. *Vxoris ob ſuſpenſum maritum lamenta.* 292
Num. 59. *Suſpendioſus reviviſcens, & cum uxore ſua è patibulo colloquens.* 293
Num. 60. *Sordidiſſimè ebrii ſchema* 295

Num.

Num. 61. Philippi ac ſociorum inopinatus conventus, & agnitio, ac lætitia. 297.

Liber VI.

Num. 1. Nocturnæ confabulationis protractio. 300

Num. 2. Quomodo initio perſtricta ſociorũ ſeparatio contigerit. 301

Num. 3. Ignes Miſſiles. 303

Num. 4. Ridicula capiendi occaſio. 304

Num. 5. Carcer & eius incola. 306

Num. 6. Arcis deſcriptio 308

Num. 7. ſervi fidelis ſeductio & furta. ibid.

Num. 8. Furti propalatio, & inveſtigatio 311

Num. 9. E feneſtra lapſus alium opprimit incolumis. 312

Num. 10. Proiectè audax & mendax promiſſio. 314

Num. 11. Mendacis de domo vaticinaturi excuſatio. 316

Num. 12. Conſcientiæ malæ metus. 318

Num. 13. Malus quod meruit, metuit. 319

Num. 14. Conſcius ipſe ſibi, de ſe putat omnia dici. 321

Num. 15. Conſilia reorum anxia & incerta. 322

Num. 16. Reorum ſolicitudo & formido. 323.

Num.

Num. 17. *Siti fames pellitur per ingenioſam inopiam.* 324
Num. 18. *Coci, in excuſando gruis ablato pede, ingenium.* 325
Num. 19. *Sagittarius prodigioſæ felicitatis.* 327
Num. 20. *Futuri ſuſpendii horror, & malæ conſcientiæ ſuſpicioſa formido.* 329
Num. 21. *Amiſſorum temerè facta recuperatio.* 331
Num. 22. *Militibus ſua furta non ſemper felicia.* 333
Num. 23. *Dictis offam emi.* 334
Num. 24. *Naſi portentum.* 336
Num. 25. *Muſcarum accuſatio Iudicii noxiæ.* 337
Num. 26. *Imperatoris parcè ſtipem dantis feſtiva excuſatio.* 339
Num. 27. *Odii conatus & curioſitas punita.* 340
Num. 28. *Inimicitia violentia.* 343
Num. 30. *Inſidiæ proditæ, in inſidiantem retortæ.* 344
Num. 31. *Infelix pagi oppugnatio.* 349
Num. 35. *Fures furibus furantur.* 352
Num. 36. *Humanus canis, mala conſcientia timida.* 354. & 55
Num. 38. *Malè parta, malè dilabuntur.* 358

RERUM.

Num. 40. *Ridiculus hæretica cœna bo-lus.* 36[illegible]
Num. 41. *Auri faciendi impoſtura.* 362
Num. 44. *Mendacia per iugulum rede-untia.* 368
Num. 46. *Supplicium exſpectantis me-tus.* 37[illegible]
Num. 49. *Etiam in læta domo triſtis carcer.* 37[illegible]
Num. 50. *In ipſo melle amara natatio.* 378
Num. 51. *Fur furtum Domino ſuo ven-dit.* 38[illegible]
Num. 52. *Alius periſtromatum publicus Harpax.* 38[illegible]
Num. 53. *Caupo ludendo luditur.* 38[illegible]
Num. 54. *Manus furis in ſacco depre-henſa.* 38[illegible]
Num. 55. *Colaphis crumenam emit cru-meniſeca.* [illegible]
Num. 56. *Spes ultima furum.*

FINIS.

R
227888
9328160
13 OC 2021